

Königl. evangel. Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Posen.  
XXXI.

Zu der  
Freitag den 17. und Sonnabend den 25. März stattfindenden  
öffentlichen Prüfung aller Klassen

so wie  
zur Feier des Geburtsfestes Sr. Majestät des Königs

**WILHELM**  
am 22. März 1865

ladet  
im Namen des Lehrer-Collegiums  
*alle Beschützer Gönner und Freunde des Schulwesens*

ehrerbietigst und ergebenst ein  
Professor Dr. Julius Sommerbrodt  
Director.

Inhalt: 1) De aliquot Horatii carminum ratione antistrophica et interpolationibus.  
Ser. Fr. Martin.  
2) Schulnachrichten vom Director.



**POSEN**  
gedruckt in der Königl. Hofbuchdruckerei von W. Decker & Comp.

BIBLIOTEKA UNIW. W POZNANIU



III 7865-87  
209463

Wypożycza się  
tylko do czytelní


1866-1.67



867

133 92011

III 816



Königl. evangel. Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Posen.  
XXXI.

---

Zu der  
Freitag den 17. und Sonnabend den 25. März stattfindenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

so wie

zur Feier des Geburtsfestes Sr. Majestät des Königs

**WILHELM**

am 22. März 1865

ladet

im Namen des Lehrer-Collegiums

*alle Beschützer Gönner und Freunde des Schulwesens*

ehrerbietigst und ergebenst ein

**Professor Dr. Julius Sommerbrodt**

Director.

- 
- Inhalt: 1) De aliquot Horatii carminum ratione antistrophica et interpolationibus.  
Scr. Fr. Martin.  
2) Schulnachrichten vom Director.



**POSEN**

gedruckt in der Königl. Hofbuchdruckerei von W. Decker & Comp.

K

ak845

Königliche Friedrich-Wilhelms-Universität zu Berlin

1871

Königliche Friedrich-Wilhelms-Universität zu Berlin

Öffentliche Prüfung aller Klassen

zur Feier des Geburtsfestes Sr. Majestät des Königs

WILHELM

209463.7



Professor Dr. Hermann



1953 Da738

DE  
ALIQUOT HORATII CARMINUM

RATIONE ANTISTROPHICA

ET

INTERPOLATIONIBUS

—————  
EPISTOLA

AD

FRIDERICUM RITSCHELIUM.

FRIDERICO RITSCHELIO

FRIDERICUS MARTINUS

S. P. D.

Ne forte mireris, Vir clarissime, quod hanc ad Te epistolam scripserim, duae me causae ut hoc facerem moverunt; sed priusquam eas indicem, paulo longius mihi repetendum est. Gruppii liber qui *Minos* inscribitur cum modo editus feriis autumnalibus anni 1859 me excitasset, ut Horatii carmina, quae postquam anno 1844 mea *de aliquot Horatii carminibus commentatio critica*, quae Peerlkampii Horatio debebatur, prodierat, non multum tractaveram, interpolationum investigandarum causa denuo accurate legerem atque examinarem et quae mihi viderentur cum Gruppii sententia compararem, ad Epodos aggressus cum poetam in iis antistrophica ratione usum esse mihi persuasissem, indicia eius rei et argumenta litteris mandavi eaque, ut scis, in brevius contracta in scriptiuncula *de Horatii epodorum ratione antistrophica et interpolationibus* ante hos quinque annos ad gymnasii Sundensis saecularia tertia celebranda edidi. Interim carminum lectione saepius repetita breviter et quae interpolata mihi viderentur, et quibus id argumentis probaretur, adnotaveram. Absoluta autem hac opella cum iterum ac saepius attente ea relegerem et singula diligenter considerarem ac perpenderem, quemadmodum in nova quaque lectione nova neque antea animadversa videmus, accidit, ut quod prius ne per somnium quidem opinatus eram, non pauca carmina pariter ac III 9, de quo dubitari nequit, et I 28, de quo quid sentirem in epistola ad Te mea anno 1858 edita exposui, et argumenti ratione et sententiarum dispositione, in nonnullis, ut II 2, earum parallelismo antistrophica mihi esse viderentur, et nonnulla quidem, ut I 9, 19, 21, 32, II 2, 5, 9,

III 7, 13, 28, omni interpolatione libera, multo autem plura, si quae spuria in iis deprehendisse me putabam reciderentur. Quae res cum a me non quaesita esset, sed sua sponte se obtulisset, coniecturae meae fiduciam aliquantum augebat. Et sic factum est, ut paullatim multo maiorem Horatii carminum numerum antistrophicum esse mihi persuaderem. Ac tum accuratissime inquirenti saepe multo magis apparebat, quanta Horatius arte, quam incredibili artificio, quod interdum minutum paene ac pusillum dicas, in scribendo usus esset. Accedebat, quod, sicut apud tragicos Graecos saepissime iisdem aut vicinis stropharum et antistropharum locis eadem aut similiter sonantia vocabula, aut diversorum repetitio, alia eiusmodi similia reperiuntur, idem passim etiam apud Horatium fieri videbam, quod ante hos septendecim annos I 28 a me animadversum ansam dedit ut hoc carmen antistrophicum esse conicerem. Hoc cur factum sit III 9, et quantopere eo huius carminis venustas augeatur, nemo non intelligit. Ut autem in iis carminibus quae canenda erant, quo magis responsio auribus et animo imprimeretur, hoc aptissime fieri manifestum est, ita in iis, quae, ut pleraque Horatii, non cantui, sed lectioni scripta erant, causa minus apparet. Apud Horatium vero respondentibus inter se strophae et antistrophae locis saepe etiam aut cognatae aut contrariae significationis nomina et verba posita sunt, id quod non ad aures, sed ad animum afficiendum pertinet.

Ceterum quamquam in plerisque carminibus hac antistrophica ratione prior mea de interpolationibus quas experta essent sententia confirmabatur, tamen in nonnullis contra effectum est, ut conservanda esse intelligerem quae antea ut spuria eicienda putaveram; velut cum de I 9, 9—12 Meinekio, de II 5, 21—24 Peerlkampio assensus essem, re iam denuo perpensa utramque stropham mihi persuasi retinendam esse\*).

Iam vero saepius relectis carminibus cum sententia mihi constaret, adii Prienii dissertationem Museo Rhenano XIII pag. 321 ss. a. 1858 insertam, quae inscribitur *Der symmetrische Bau der Oden des Horaz*, quam iam prius videram quidem, sed quia fasciculus fere eodem momento quo eum in manus sumpsi reddendus erat, praeter primas paginas non legeram neque prius, ne alieno iudicio meum caperetur, cognoscere volueram. Tum mea cum illius inventis comparans pag. 322 s., 368 ss. utriusque nostrum de Horatii ingenio et arte iudicium vidi plane consentire, prorsus

\*) Meinekio ad I 9, 9—12: *Haec si quis paullo attentius legat nec dulci verborum sono se decipi patiat, perinepte esse dicta intelliget. Tota enim sententia eo redit, ut tempestas postquam detonuerit detonuisse dicatur. Assentientes habet Linkerum, Prienium, Gruppium. At verba qui (divi) simul stravere ventos aequore fervido deproeliantes, nec cupressi nec veteres agitantur orni, hunc mihi sensum habere videntur, simulac venti saevire desierint, etiam arbores agitari desinere, cum causa desinere effectum; ventis autem per allegoriam bellorum civilium tempestates puto significari. Sicut vero cum venti ex diversis regionibus flantes in mari inter se (non, ut Kellerus opinatur, cum mari; non enim aequori legitur, sed aequore) certant, (cfr. I 3, 12 *africum decertantem aquilonibus*), arbores in insulis et litoribus eorum furori expositae, etsi nihil eorum certamen ad eas pertinet neque ulla est societas, tamen agitantur et periclitantur, ita cum civiles factiones bello inter se conflictantur, etiam eorum qui a factionum et partium certamine abstinent et prorsus alieni sunt status et salus in summum periculum aut in perniciem adducitur, desinentibus autem deorum interventu illis certaminibus, tranquillitas his quoque redditur. — Ultimam huius carminis stropham ut Gruppius bene a Prienii insectatione defendit, ita idem primam, quae et elegans est et necessaria, nullo iure condennat. Antistrophicae rationis indicium nescio an sit vv. 8 et 20 septenarum vocalium consensus:*

o Thaliarche merum diota,

composita repetantur hora;

quamquam talia etiam casui deberi possunt, ut I 2, 15 et 35; 35, 7 et 39, ubi de responsione nequit cogitari.

etiam convenire mihi cum illo de I 10, 17, 22, 24, II 1, 9, 10, 13, III 8, (nisi quod mihi ut Peerlkampio et Gruppio totum hoc carmen subditivum videtur), 13, 22, 28, 30, IV 9, (nisi quod hoc spurium puto), 15, (de auctore tamen dubito), de reliquis autem quae tractavit, quamquam mihi quoque pleraque antistrophica videntur, nos dissentire, et mihi multo plura quam illi antistrophica videri. Quod III 8 et IV 11 subditicia dixi et tamen interpolata, Gruppius recte interpolatorum censet plures esse aetates et interdum vetustiori interpolationi recentiorem esse additam; nonnullis autem interpolatoribus vetustioribus antistrophicam rationem cognitam fuisse et II 11 demonstrat, quod Peerlkampius, Hanovius, Gruppius, alii recte, nisi fallor, Horatio abiudicant, et alia nonnulla, ut I 22, 27, II 4, 6, 10, IV 3, in quibus responsio aequali utriusque partis interpolatione conservata est, cum in pluribus inaequali sublata sit.

Cum vero, si non plane inanis et falsa est mea de antistrophica multorum carminum responsione coniectura, quanti hoc momenti sit ad certius deprehendendas interpolationes sua sponte appareat, non mirabor equidem, si totius huius quaestionis adversarii et Horatii carminum integritatis assertores, quorum numerus adhuc maximus est, manibus pedibus obnitentur, idque eo infensius, quo plura illa ratione in periculum adducuntur. Itaque quamquam non modo summo veri inveniendi studio diu multumque de hac causa cogitavi et deliberavi, ac ne forte quodam fervore abriperer, saepius aliquamdiu hanc quaestionem deposui et post temporis intervalla ad eam redii, tamen adhuc praeter tarditatem meam et calami fugam invidiae et iniquorum iudiciorum metus ne inventa mea vulgarem prohibuit, licet Fleckeisenus iam ante plus tres annos mihi, si talem librum edere vellem, amicissime et benignissime honestum redemptorem obtulerit egoque partem operis typographo parare coeperim. Nunc tamen cum in eo sit, ut docendi munus per multos annos gestum deponam et in senectutis otium recedam, oblatam scholastici programmatis occasionem arripui, ut certe specimina aliquot meae rationis darem, quamquam praevideo fore ut multorum virorum doctorum reprehensionem experiar gravissimam. Sed ut hi in auctoritate grammaticorum potissimum pluribus saeculis ab Horatio distantium et imitatorum nituntur, ita ego magis in ratione, quae mihi potior est auctoritate parum firmis fundamentis innixa.

Praeterea eos qui interpolationibus Horatium contaminatum esse prorsus negant, hoc velim interrogatos: si quis carmen aut orationem aut simile artis opus fecerit, quod cum in universum argumenti inventionem et tractationem, sententiarum convenientiam et dispositionem, orationis elegantiam et ornatu se commendat, tamen etiam sententias habeat non suo loco positas et supervacaneas aut

II 5, 21—24 Peerlkampio acutis argumentis in suspensionem vocanti accedit Gruppius. Verum enimvero non minus quam Pholoe et Chloris etiam Gyges praedicato aliquo insigniendus erat, quo aut corporis aut ingenii virtus aliqua denotaretur; Cnidius enim quod dicitur, hoc quidem nihil ad rem. Poeta autem hic utitur ea ratione, ut personarum notatio gradationis cuiusdam forma verbis accrescat et quasi intumescat. Pholoe simpliciter ab ingenio *fugax* designatur (pulchram eam esse sua sponte intelligitur), Chloris duorum versuum ambitu laudatur: *albo sic humero nitens, ut pura nocturno renidet luna mari*, Gyges plena stropa: *quem si—ambiguoque vultu*; unde hunc pueri et puellae laudes coniungentem conicias ei ad quem carmen scriptum est etiam cariorem fuisse, quam Pholoe et Chloris fuerit. Dum autem tot verbis eius pulchritudo extollitur, cum tamen poeta Lalagen affirmet amatori magis dilectam fore, id quod Peerlkampius flagitat, Lalage et initium et finis est. Et si Gyges puellarum choro immixtus sagaces hospites fallere dicitur, veste muliebri eum esse indutum addi non est necesse. Antistrophicae responsionis indicia sunt vv. 3, 4, collati cum 15, 16, sententiae similitudine, vv. 11 et 23:

**distinguet autumnus  
discrimen obscurum**

et vv. 12 et 24: varius — ambiguo.

sive re sive oratione sive quacunq̄ue ratione vitiosas, nonne, cum egregia et mendosa illa naturali quodam vinculo propemodum ut animalium et plantarum membra colligata esse et coaluisse necesse sit, miraculi simile fuerit, si quaecunq̄ue displiceant et condemnanda sint demi possint, nec tamen quidquam usquam desideretur nec solutae iuncturae et compagis vestigium ullum relinquatur? Atqui in Horatii carminibus interpolatorum additamentis recisis non hoc modo saepissime fieri videmus, sed etiam tum demum summam poetae etiam in minimis artem et egregiam totius et partium congruentiam admiramur, tum non raro quae antea dubia aut obscura fuerant lucem accipiunt, male discerpta coeunt; denique quod non leve mihi videtur esse, multis carminibus forma redditur antistrophica. Videant ergo viri docti, casumne in his an consilium et manum poetae agnoscendam existiment.

Ad Te autem, vir clarissime, haec converti primum, quia Tu ante hos octo annos similem meam opellam de Horatii aliquot carminibus anno 1844 editam honorificis mihi verbis ex oblivionis tenebris in quandam quasi lucem produxisti, deinde quia retractanda mihi sunt quae tum a Te provocatus anno 1858 de carm. II 1 scripsi. Nam cum Tu non modo cum Peerlkampio tertiam et septimam, sed etiam nonam stropham gravissimis argumentis impugnasses et has tres strophas interpolatas esse docuisses, ego, ut in epistola ad Te mea pag. 2 significavi, primo Tibi assentiens etiam octavam spuriam esse censui; postea Horatii verbis Serm. I 10, 42 (50) motus tragoediae mentionem in illo carmine necessariam ratus utut potui tertiam stropham tuendam, atque ab hoc initio etiam reliquarum defensionem suscipiendam putavi; sed invitus hoc feci et, ut pag. 6 significavi, mihi ipse parum placens, quia liberatum istis quattuor strophis hoc carmen venustate et partium congruentia, etsi de antistrophica responsione tum nondum cogitabam, multo magis placebat quam oneratum ac deformatum. Unde nihil mirum est, quod cum Gruppii et postea etiam Prienii viderem eandem in qua ego fueram esse sententiam, facile et libenter ad eam reverti tantoque magis eam amplexus sum, quod antistrophica responsio, quam Prienius me nesciente iam prius perspexerat, clare apparebat. Quod autem de tragoediae Pollionis commemorandae necessitate putaveram, re denuo perpensa ad aliam sententiam adductus sum. Tragoedia, praeterquam quod ludis publicis edebatur, cum non ut historiae scriptio (cfr. Sallust. Cat. 3, Iug. 4.) ad rempublicam pertineret, inter rerum gestarum scriptorem, oratorem, senatorem, imperatorem Pollionem non erat locus tragico. Et quomodo in tanta et praecedentium et insequentium stropharum excellentia tantam subito vv. 9—12 sententiae et orationis labem explicemus? Tantopere Horatium sui et artis suae oblitum putemus? ac si severissimus ille aliorum poetarum censor tam lenis sui iudex in scribendo carmine fuisset, ne tum quidem, cum sex septemve annis post collecta carmina ederet, tam manifesta vitia neque vidisse neque sustulisse? Abeat igitur tertia stropha simulque quae tres post v. 24 leguntur, quarum postremis duabus Horatii verba Epod. 7, 3 s.: *parumne campis atque neptuno super fustum est latini sanguinis?* amplificata mihi videntur.

Iam vero, vir doctissime, susceptum munus aggredior, ut exemplis quibusdam appareat, quomodo in interpolatione investiganda et antistrophica ratione constituenda versatus sim. Ac primum quidem aliquot carmina vulgaribus quattuor versuum strophis distincta proponam, tum vero monostichica et distichica nonnulla, et quid de Meinekiana quae dicitur stropha sentiam breviter declarabo. Ceterum Peerlkampii, Meinekii, Prienii, Gruppii dicta ut nota brevitatis studio plerumque non repetam, nisi quantum perspicuitatis causa necesse erit.

## CARM. III II.

Summa de hoc carmine virorum doctorum est dissensio; nam cum quidam etiam nunc omnia quae tradita in libris sunt tueantur et conservent, multi cum Naekio et Buttmano quintam stropham condemnant; Peerlkampius praeterea Gruppius probante vv. 3—6 et Meinekio assentiente ultimam stropham vv. 49—52, Gruppius contra paenultimam vv. 45—48, Linkerus utramque Horatio abiudicat, Schwenckius denique totum carmen ex pannis Horatianis compositum et interpolatum affirmat. Ego multum ab his omnibus discedo. Primum tantum abest, ut cum Schwenckio Horatio carmen indignum putem, ut prae multis aliis mihi semper placuerit et adhuc me teneat eleganter mixtis iocis et seriis, cum puellae virginalis timiditas et durities festive cum Danaidum crudelitate comparetur et Hypermnestrae exemplum ei imitandum proponatur. Sed iam ut versuum ordinem sequar, quod Peerlkampius vv. 3—6: *tuque testudo resonare septem | callida nervis, | nec loquax olim neque grata, nunc et | divitum mensis et amica templis*, commentatorem Cruquianum scribentem: *ordo est: Mercuri, dic modos quibus Lyde obseratas (obstinatas Acr. et Porph.) aures adplicet; nam te magistro docilis Amphion movit lapides canendo* (quae fere etiam Porphyrio et Acron praebent), non legisse putat, fallitur vir doctissimus; nam haec explicatio plane supervacanea foret, nisi vv. 3—6 intercederent et a commentatore lecti fuissent, quibus quae iungenda sunt separantur. Neque merito idem reprehendit *testudo, callida, templis*. Testudinis nominis hoc sensu usus apud poetas tam vulgaris est et praecedentibus verbis id tam definitum, ut de animali nemo possit cogitare; et si Mercurius testudinem loquentem faciens quasi animam ac vitam ei inspirat, recte callida dici potest. Deinde cum *et divitum mensis — et templis* legatur, Peerlk. dicens, quando praecesserit *divitum mensis*, Horatium additurum fuisse *templis deorum*, prius et neglexit et *divitum* positum esse ante *mensis*, quo maior vis priori vocabulo tribuitur; nam cum templa deorum tantum sint, mensae et hominum et deorum, *deorum* addi non erat necesse. Gruppius, qui Horatium censeat nunquam se repetere neque imitari, miror ad hos versus damnandos non attulisse I 32, 13: *o decus Phoebi et dapibus supremi | grata testudo Iovis*. Ceterum *tuque testudo* est *cum testudine*; cfr. I 32, 1: *si quid vacui sub umbra lusimus tecum*.

Magno multorum consensu, cum a Bentleio *eius* certissimis argumentis damnatum, idque ut removeretur, locus et ab hoc et ab aliis temptatus esset, nuper tota stropha:

*Cerberus, quamvis furiale centum  
murniant angues caput eius atque  
spiritus teter saniesque manet  
ore trilingui,*

a Naekio tot tamque gravibus argumentis explosa est, ut nullis machinis restitui possit. Ac descriptio Cerberi foedissima et ab hoc carmine plane abhorret et a poetae consilio; quid enim ad Lyden movendam faceret? \*) Inscitum autem interpolatorem convincit *eius atque*, quorum prius

\*) Turpis et foedi argumenti causa equidem non minus condemno interpolatorique tribuo Carm. I 25, 13—16: *cum tibi flagrans amor et libido, | quae solet matres furiare equorum, | saeviet circa iecur ulcerosum, | non sine questu*, et IV 13, 9—12: *inportunus enim transvolat aridas | quercus (cfr. I 25, 19.) et refugit te, quia luridi | dentes te, quia rugae turpant (cfr. Epod. 8, 3) et capitis nives*. Interest aliquid inter epodum et odam, nec quae in illo ut Epod. 8 et 12 tolerari possunt, pariter sunt in hac ferenda. Ac nescio an cum IV 13, 2 *fis anus*, non *es anus* legatur, non satis convenient v. 11 *rugae et capitis nives*. Eiectis autem his strophis utrumque carmen antistrophicum est, ut in priori vv. 1—8 et 9—12, 17—20, in altero 1—8, 13—16 et 17—28 sibi respondeant. In illo autem tum ultima

ut lyrico poetae non aptum, ita inutile est, alterum, *atque* cum saepissime apud Horatium in praecedenti versus Sapphici pede legatur, nusquam ultimum locum tenet, quia, ut videtur, gravior ibi ictus erat. Quod autem ad tuendum hoc loco *atque* affertur Carm. II 10, 21: *rebus angustis animosus atque | fortis appare*, non emendandum hoc est, sed et haec stropha et tertia spuria est, ut recte vidit Prienius; ac tertia quidem, quia cum per totum carmen, etiam in sexta stropha, omnes sententiae duobus membris sibi oppositis exprimantur, in illa id factum non est; quo accedit quod in tertio membro, *feriuntque summos fulgura montes*, e primo repetendum est *saepius*, quod recte fieri nequit interiectis verbis *et celsae graviore casu decidunt turres*. Sexta vero stropha peccat eorum quae iam dicta sunt v. 13 ss. repetitione: *sperat infestis, metuit secundis | alteram sortem bene praeparatum | pectus*, et quod maius est, quod non, ut in prima factum videmus, utrumque sententiae membrum, sed alterum tantum a mari et navigatione desumptum est: *sapienter idem | contrahes vento nimium secundo | turgida vela*. Et quanto venustius carmen exit in haec verba: *neque semper arcum tendit Apollo?* quae animum tranquillat, cum insequens stropha iterum in tempestates et pericula legentem coniciat. Antistrophicum autem esse carmen Prienius recte monuit.

Sed ut iam eo unde digressus sum redeam, recisa illa de Cerbero stropha Horatio nondum satisfactum est, cuius non magis sunt quae praecedunt vv. 13—16:

*tu potes tigres comitesque silvas  
ducere et rivos celeres morari;  
cessit inmanis tibi blandienti  
ianitor aulae,*

et quae sequuntur vv. 21—24:

*quin et Ixion Tityosque voltu  
risit invito; stetit urna paullum  
sicca, dum grato Danaï puellas  
carmine mulces.*

Nam inepta est illa a Mercurio et Amphione ad Orpheum transitio, et si, ut lyrae vis praedicaretur, Orpheus additus est, interpositis de Lyde versibus 7—12 testudinis laudes male discerptae sunt. Non minus autem, et nescio an gravius, eo peccatum est, quod cum v. 2 lapides moti esse dicantur, hic autem tigres et silvae ductae, rivi morati, a maiori ad minus facta est gradatio; nam lapides vita ac sensu plane carent, tigres vitam et sensum habent, silvae vitam; atque etiam rivis propter motum vita quaedam tribui potest. Similiter ne Cerberum quidem recte introductum esse facile perspicitur. Videtur tamen huius strophae auctor aetate praecedere ei qui vv. 17—20 interpolavit; vv. 21—24 autem utri eorum adscribendi sint dubitari potest. In hac stropha (21—24) idem quod modo in quarta notavi vitium continuatur, nam Ixionem, Tityum, Danaides cantu moveri minus mirum est quam Cerberum. Tanto perversior est particularum *quin et* usus. Mire sane accidit, quod cum hae particulae ter in Horatii carminibus reperiantur, nusquam non in falsa gradatione a maiori ad minus descendente, cum contra esse deberet, adhibitae sunt; et

stropha *laeta quod pubes* — euro multo commodius pendet a *flebis* v. 10; in altero antistrophicae rationis indicium est, quod et strophae et antistrophae initio et iisdem locis poeta usus est anaphora: *audivere, Lyce, di mea vota, di | audivere, Lyce*; et *quo fugit venus, heu, quove color? decens quo motus?* Cfr. Soph. Ai. 879 *τίς ἄν δῆτά μοι, τίς ἄν φιλοπόνων* et 925: *ἔμιλλες τάλας, ἔμιλλες χρόνῳ* (ubi quod Engerus v. 879 alterius dochmii forma recte offensus coniecit *τλημόνων*, ego malim *τληπόνων*; cfr. *τληπενθής, Τληπόλεμος*); v. 21 in verbis *felix post Cinaram, notaque et artium | gratarum facies*, pro *notaque* fortasse legendum *grataque*.

ceteris quidem duobus locis I 10, 13 a Prienio, II 13, 37 a pluribus hoc vitium notatum est, hoc autem de quo agimus loco interpretes et criticos adhuc videtur fefellisse. At Horatium, qui particulis *quin etiam* recte sciret uti Serm. I 2, 44; Epp. II 1, 152; 2, 9, eundem illarum tam ignorantem fuisse, ut semper perperam iis uteretur, quis est qui sibi persuadere possit? Praeterea sicut Cerberi nomen inutiliter illatum est, ita Danaï puellae additae videntur, scilicet ne nomen deesset v. 26. Accedit quod nunc bis Danaïdum urna vel dolium commemoratur, cum semel satis sit. Postremo resectis his tribus strophis aptissime iungi vv. 12 et 25, nemo, opinor, negabit.

Hactenus mihi hoc carmen interpolatum videtur, reliqua ego non moveo. Ultimam stropham, qua tener puellae amor venuste exprimitur animumque movet, recte tuetur Gruppius; sed perperam idem praecedentem vv. 45—48 insectatur. Quid enim aptius esse potest hac sententia: tu fuge, ego te neque interficiam neque intra claustra tenebo; mihi pater faciat quidquid volet? Atque necessariam et hanc stropham esse et ultimam, carminis quam nunc dabo descriptio docebit.

Mercuri, nam te docilis magistro movit Amphion lapides canendo, tuque testudo, resonare septem callida nervis,	str.	una de multis face nuptiali digna periurum fuit in parentem	ant.
5. nec loquax olim neque grata, nunc et divitum mensis et amica templis, dic modos, Lyde quibus obstinatas adplicet aures, <i>quae velut</i> latis equa trima campis		35. splendide mendax et in omne virgo nobilis aevom, „surge“ quae dixit iuveni marito, „surge, ne longus tibi somnus unde non times detur: socerum et scelestas	
10. ludit exsultim metuitque tangi, nuptiarum expers at adhuc protervo cruda marito.		40. falle sorores, <i>quae velut</i> nactae vitulos laeanae singulos eheu lacerant: ego illis mollior nec te feriam neque intra claustra tenebo.	
25. audiat Lyde scelus atque notas virginum poenas et inane lymphae dolium fundo pereuntis imo seraque fata, quae manent culpas etiam sub orco.		45. me pater saevis oneret catenis, quod viro clemens misero peperci; me vel extremos Numidarum in agros classe releget. i pedes quo te rapiunt et aurae,	
30. inopiae nam quid potuere maius? inopiae sponso potuere duro perdere ferro.		50. dum favet nox et Venus, i secundo omine et nostri memorem sepulcro scalpe querellam.“	

Iam vides tertia utriusque partis stropha venustam et festivam Lydae cum Danaïdibus comparisonem et per similia quidem contineri, et utramque stropham iisdem vocabulis *quae velut* introductam; tum in quarta utraque stropha Danaïdum poenam Hypermnestrae vindictae a patre timendae opponi, in quinta denique in utraque parte anaphoram esse: *inopiae* — *inopiae*, *i* — *i*, et Hypermnestrae marito parentis et liberum dimittentis clementiam sororum sponso interficientium crudelitati opponi.

### CARM. I 27.

Huius carminis vitae et actionis plenissimi secundam stropham ut interpolatam recte damnat Peerlkampius; eam retinens Gruppius quartam, quintam, sextam expellit et sic mutilatum aptaque clausula carens carmen magnopere admiratur. Prienius nihil recidens carmen dicit antistrophicum, quod verum esse et argumenti ratio et sententiarum dispositio demonstrat. Sed neque hic nec Peerlkampius verum totum assecutus est. De secunda stropha vv. 5—8:

vino et lucernis medus acinaces  
inmane quantum discrepat; inpium



lenite clamorem, sodales,  
et cubito remanete presso,

Peerlkampius: *variatio sententiae praecedentis: si res et verba spectes, coloris non Horatiani*. Saepius interpolatores variandis Horatii sententiis eius carmina inepte auxerunt, ut II 13 prima stropha nihil est nisi secundae et tertiae insulsa variatio; aliud exemplum infra I 3 videbimus; nostro autem loco haec res eo magis apparet, quod interpolator orationi plane eandem formam dedit quae in prima stropha est: *Thracum est, discrepat, tollite — prohibete, lenite — remanete*. Horatianum hoc esse ego nequaquam existimo. Iam I 27 si secundam stropham Horatii esse censeas, frustra eum convivas scyphis pugnare vetuisse statuendum sit rixamque eo progressam esse, ut gladii uti vellent. At tum poeta cum antea recte et apte dixerit: *tollite barbarum morem verecundumque Bacchum sanguineis prohibete rixis*, iam in multo maiore discrimine quid facit? non, quod exspectes, gladios in vaginas recondere ac deponere eos iubet, sed impium lenire clamorem. Rectius dicta sunt quae adduntur verba: *et cubito remanete presso*. Hactenus igitur recte Peerlkampius; sed quod Romanos negat in convivio gladiis uti potuisse, quia nemo haberet, quidni in pariete gladii suspensi fuerint belli Parthici praeda? Et unde vir doctissimus didicit convivium fuisse breve et diurnum, non in seram noctem protractum, ut lucernis opus esset? Quo autem longius protraheretur, eo magis verendum erat ne inter ebrios rixae et pugnae orerentur.

Iam hic libens subsisterem, ut carmen esset quinque stropharum non antistrophicum, nisi haererem in ultima stropha:

quae saga, quis te solvere thessalis  
magus venenis, quis poterit deus?  
vix inligatum te triformi  
Pegasus expedit Chimaera.

Recte hic a saga ad magum, ab hoc ad deum oratio procedit, sed a deo male ad Pegasus; num hic aut insidens ei Bellerophon plus valet deo? Et cum grammatica ratio thessala venena etiam ad deum referri iubeat, rei ratio id vetat, cum deus iis non egeat. Quae cum ita se habeant, buaeritur, totane haec stropha abicienda sit, an iam in proximis verbis peccatum sit:

quanta laboras in Charybdi,  
digne puer meliore flamma.

Plerique in iisque optimi libri habent *laborabas Charybdi*, alii metro deficiente *laboras Charybdi*, dubiae auctoritatis est quod Aldus dedit *laboras in Charybdi*. Imperfectum *laborabas*, de quo Bentleius dubitabat, quodam modo explicari posse monuit Meinekius (et explicavit Peerlkampius), sed Bentleii observationi de structura verbi *laborare* nondum a quoquam responsum esse; et vix respondebitur; Dillenburgeri certe responsum non respondet. Sed vix explicari potest, quomodo *in* praepositio exciderit; maiorem veri speciem Oudendorpii et G. Wolffii coniectura habet *laboras ab Charybdi* (nisi quod potius *a Charybdi* Horatium puto scripturum fuisse); cfr. Liv. IX 19, 15: *nunquam ab equite hoste, nunquam a pedite — laboravimus*. Utut vero scribendum est, quemadmodum Anaxilas Athen. XIII pag. 558 A fecit verbis:

τίς γάρ ἢ δράκαιν' ἀμικτος, ἢ χίμαιρα πυρπύρος,  
ἢ χάρυβδις, ἢ τρίκρανος σκόλλα, πορτία κίων,  
σφίγξ, ὕδρα, λέων, ἔχιδνα, πτερά θ' ἀρνιῶν γένη,  
εἰς ὑπερβολὴν ἀγίται τοῦ καταπίπτου γένους;

sic etiam Horatium par erat de eadem puella loquentem Charybdim et Chimaeram non, ut factum

videmus, seiungere, sed coniungere: *quanta laboras in Charybdi aut Chimaera*; deinde Charybdis sive maris gurges sive rapax puella intelligitur, parum convenienter ei quae nihil cum igni commune habeat iungitur *flamma*, licet, ut *ignis* Ep. 14, 13, mulierem ardentem amatam significet. Sic necessario eo deduci mihi videtur, ut deletis vv. 19—22 ultimos duos versus duodevicesimo iungamus, quo carminis haec forma efficitur:

<p>Natis in usum laetitiae scyphis pugnare Thracum est: tollite barbarum morem <i>verecundum</i>que Bacchum 4. sanguineis prohibete rixis. 9. voltis severi me quoque sumere partem falerni? dicat Opuntiae frater Megillae, quo beatus volnere, qua pereat sagitta.</p>	<p>str.</p>	<p>cessat voluntas? non alia bibam <span style="float: right;">ant.</span> mercede. quae te cumque domat venus, 15. non <i>erubescendis</i> adurit ignibus ingenuoque semper amore peccas. quidquid habes, age 18. depone tutis auribus. ah miser, 23. vix inligatum te triformi Pegasus expediet Chimaera.</p>
--	-------------	---

Sic recte una eademque servatur imago: quae puella dicta est venus non erubescendis adurens ignibus, iam ignivomae comparatur Chimaerae. Antistrophicae autem rationis indicia sunt contrariae significationis paribus locis nomina *verecundum* et *erubescendis* (cfr. pag. 2.) et exeunte strophae felicis, antistropa infelicis amoris significatio.

## CARM. I 2.

Hic post primam stropham legimus has duas:

<p>5. terruit gentes, grave ne rediret saeculum Pyrrhae nova monstra questae, omne cum Proteus pecus egit altos visere montes,</p>	<p>str.</p>	<p>piscium et summa genus haesit ulmo, 10. nota quae sedes fuerat columbis, et superiecto pavidae natarunt aequore dammae.</p>
--	-------------	--

Harum alteram damnat Buttmannus, quem secuti sunt Meinekius, Hauptius in altera editione, Linderkerus, alii, utramque post Quietum Peerlkampius, Gruppius (p. 583). Omissis quae recte a Buttmano et Peerlkampio dicta sunt ego haec moneo. Si recto anaphorae usu scriptum est *terruit urbem, terruit gentes*, eadem utrisque terroris causa sit necesse est. Atqui urbem Iuppiter terruit fulminibus in capitolium iniectis, gentes non his fulminibus, sed diluvii Deucalionis timore; ergo anaphorae lex violata est; deinde is timor motus est Tiberis inundatione, qua inferiores urbis regiones occupabantur; sin vero vv. 5—12 quid timuerint gentes, tum causam eius timoris vv. 13—16 significatam legimus, nonne in mentem venit illud: *parturiunt montes, nascetur ridiculus mus?* Neque vero obiecerit quisquam urbem fulminibus, gentes grandine et nivibus (vv. 1 et 2) territas esse; nam hoc sententiarum ordine vetatur, et grando nivesque illae Romanorum, non gentium animos afficiebant. Sic necessario efficitur ut istae duae strophae nullo pacto, nisi Horatio iniuriam facere volumus, defendi et conservari possint; eiectis autem iis aptissime primae strophae iungitur quarta vv. 13—16, quae insolitam grandinis et nivium multitudinem initio memoratam respicit.

Non minus recte Peerlkampius spuriam esse censet quintam stropham vv. 17—20:

Iliae dum se nimium querenti  
iactat ultorem vagus et sinistra  
labitur ripa Iove non probante u-  
xorius annis,

quae cum prima minime concordat. Illic Iovem legimus grandinem, nives, fulmina misisse et

auctorem esse inundationis, hic Iove non probante Tiberim super ripas effusum esse; deinde *retortis violenter undis* vv. 13 s., quae eunt delectum monumenta regis templaque Vestae, non respondet verbum *labitur* v. 19, quod lenius et tranquillius fluenti aquae convenit, cfr. Ep. 2, 25: *labuntur altis interim ripis aquae*, Epp. I 2, 43. Ac nimis accuratus est auctor verbis *sinistra — ripa*, quasi id, cum praecesserit *retortis litore etrusco* i. e. dextro — *undis*, non necessario intelligatur. Addita haec Peerlkampii reprehensioni sufficere puto ad stropham istam condemnandam.

Sed ut adhuc Peerlkampio adstipulatus sum, ita insequentem stropham vv. 21—24: *audiet cives — iuventus*, quam ille cum Guieto damnat, quamquam ei non Gruppius modo, sed etiam Hauptius ed. 2 obsecutus est, ego non solum genuinam, sed etiam necessariam esse affirmo. Vv. 1—4, 13—16 Iovis irae signa indicata sunt, v. 29 autem *scelus expiandi* munus commemoratur; sed quodnam scelus expiandum sit vv. 21—24 omissis non docemur, si Ilia nimium querens v. 17 cum stropha illa expulsa est; nec reici possumus ad v. 44 *Caesaris ultor*. At scelus et causa irae divinae ipsis vv. 21—24 indicatur; sed quia Peerlkampius verba v. 21 s. *audiet cives acuisse ferrum, quo graves Persae melius perirent*, non recte accipiebat, in errorem induci se passus est. Iure quidem suo negat quod dicendum fuerit significari posse, cives contra cives acuisse ferrum, quod perperam Dillenburgerus, Duentzerus, Nauckius statuunt; sed quod putat re vera sed absurde dici cives acuire ferrum contra Persas, magnopere fallitur. Illud si poeta dicere volebat, necessario addendum erat *in cives*; sin hoc, *cives* nomen minus apte positum est. At sermo est de nece Caesaris, quem cives interfecerunt, quorum ferro, quod in illum acuerant, graves Persae melius perirent; Caesar enim eo ipso tempore quo occisus est bellum Parthicum parabat. Hoc igitur scelus expiandum est, et praeterea id quod bellis civilibus inde exortis (vv. 23 s.) commissum est. Veram esse hanc explicationem magis etiam carmine antistrophice descripto apparebit. Quod vero Peerlkampius iuventutem v. 24 dicit non esse posteros, sed ipsam iuventutem praesentis aetatis, quae bella non audiat, sed videat, non magis verum est. Iuventus non dicitur eorum qui nunc adoleverunt, sed eorum qui adolescent aut adolescent, pueri adhuc aut nondum nati; pugnis autem bellorum post Caesarem interfectum civilium cum infinitus civium numerus perierit, prolem necesse est multo rariorem esse; nam neque absentes ab uxoribus mariti liberos gignere potuerunt, nec mortui possunt. Sin iuventus vitio *parentum* rara futura dicitur, parentes non singulorum patres intelligendi sunt.

Iam quae sequuntur strophae vv. 25—32:

25. quem vocet divom populus ruentis  
imperi rebus? prece qua fatigent  
virgines sanctae minus audientem  
carmina Vestam?

cui dabit partes scelus expiandi  
30. Iuppiter? tandem venias precamur  
nube candentes humeros amictus,  
augur Apollo,

in his Peerlkampii rationem verba *prece qua — tandem* delentis vix erit qui probet, etiam si vera omnia sint quae contra Vestam carmina minus audientem profert; et immerito *tandem*, quod bene vehemens desiderium exprimit, vituperavit. Sed alia sunt quae me offendant. Tres illae interrogationes vv. 25—30 inter se non conveniunt; ad primam *quem — rebus?* (*ruentis imperi rebus* versus explendi causa pro *ruente imperio* dictum videtur ut IV 6, 25 in stropha pariter interpolata *rebus Aeneae* pro *Aeneae*; sed hoc mittam) non respondetur, et tamen quasi Vestam et Iovem precibus adeundos esse responsum sit, altera et tertia subicitur interrogatio. At cum prodigia illa a Iove missa sint, dubium non est quin hic exorandus sit, qui si populi Romani preces exaudierit, aut ipsum aut per vicarium scelus expiare oportet; vicarium autem Apollinem potissimum *καθάρσιον*, ad

quem hoc munus praecipue pertinebat, par est expectari. Si vero *cui dabit partes scelus expiandi Iuppiter?* interrogatur, duas quae praecedunt interrogationes plane esse supervacaneas mihi manifestum videtur esse. Itaque vv. 25—28 ut interpolatos delendos esse censeo.

De Marte sceleris expiatore haec leguntur vv. 35—40:

sive neglectum genus et nepotes  
 respicis auctor,  
 heu nimis longo satiate ludo,  
 quem iuvat clamor galeaeque leves  
 acer et Mauri peditis cruentum  
 voltus in hostem.

Vv. 37—40 damnavit Guietus, et, nisi me fallit memoria, Schwenckius. Recte hoc factum. Cum Apollini duo versus tributi sint, totidem Veneri, parum est probabile Marti sex impendi, quorum quattuor, certe tres posteriores a proposito plane alieni sunt; non enim est idoneus expiando sceleri clamoris bellici, galearum, vulnerum, caedis amator. Recte igitur Peerlkampius vv. 38—40 resecat; sed quod etiam v. 34 *quam Iocus circum volat et Cupido* inducendum et v. 42 strophae restituendae causa ante v. 36 ponendum censet, neutrum probandum est. Nam v. 34 eiecto ea quam modo dixi membrorum aequalitas tollitur. Iocus autem et Cupido Venerem circumvolantes naturam eius atque ingenium a bello abhorreere demonstrant, ut dea ad expiandi munus suscipiendum maxime sit idonea. Transpositorum vero ab interpolatoribus versuum in carminibus nullum adhuc mihi exemplum occurrit, in epodis unum 17, 80; ubi cum C. Lehrsius verba *desiderique temperare pocula* propter laesam gradationis legem eicienda censeat, ego qui in libello de Epodorum ratione antistrophica v. 77 interpolatum dicam, nunc ut vitium a Lehrsio monstratum tollam, illa post v. 76 transponenda existimo: *an quae movere cereas imagines | desiderique temperare pocula*, quo facto iunguntur quae eodem pertinent, ad amoris veneficium. Traiectio illa facta est, quia interpolati versus verba *ut ipse nosti curiosus*, quae Serm. I 8, 30 ss. respiciunt, alium locum habere non poterant; addita autem versus explendi causa verba *et polo* necessario cogebant ut ea exciperet v. 78: *deripere lunam vocibus possim meis*. — Ceterum verba v. 38 *quem iuvat clamor galeaeque leves* iam eo maximam suspitionem movent, quod parum scite eadem forma repetita imitantur v. 34: *quam Iocus circum volat et Cupido*. Recisis vero vv. 37—40 non modo aliena ab hoc loco sententia tollitur membrorumque aequalitas restituitur, sed etiam molesta *Mauri peditis* curatione liberamur. Levius est, sed tamen fortasse non negligendum, quod cum in toto carmine et particula septies, et in interpolatis quidem strophis quater legatur, ter in his traiectam videmus: *piscium et, vagus et, acer et*.

Ne iam huius disputationis finem faciam prohibet Gruppius, qui acute monet, cum v. 44 in verbis *Caesaris ultor* Iulius Caesar intelligatur, non posse v. 52 Augustum hoc nomine compellari; nec magis fieri posse ut, cum inde a v. 41 Mercurii sit allocutio atque hic pronomine *te* notetur, idem pronomem v. 52 (*te duce*) ad Augustum referatur. Vera mihi videtur haec observatio; sed quod vir doctus propterea ultimas duas strophas hac de causa resecandas censet, non vidit hoc nullo modo fieri posse, nisi magnum orationis vitium ab Horatio commissum putamus. Quae vv. 33 et 36 particula *sive* introducuntur sententiae apodosin suam habent v. 30: *venias precamur*; nondum igitur adsunt Venus et Mars; Mercurius autem cum, si in terris Augustum iuvenem imitatur, necessario iam praesens adesse cogitandus sit, ad hunc *venias precamur* non potest referri, etsi id factum est ab Acrone et commentatore Cruquiano. Ergo vv. 41—44 verba *sive*

*mutata* — *ultor* suam et novam requirunt apodosin, quae deest, si insequentia tolluntur. Atque apta esse certe verba *serus* — *tollat* ne ipse quidem Gruppius negat; quae vero in reliquis reprehendit, ea nolo refellere. Utramque stropham vv. 45—52 praeter apodosin necessitatem et elegantissimam esse et aptissimam vix erit qui non sentiat. Sed tamen gravissima illa de pronomine et Caesaris nomine v. 52 manet dubitatio. Eo accedit quod equitandi verbum v. 51 nimis nude mihi positum videtur, quod idem quanto distinctius adhibitum est II 9, 24: *intraque praescriptum Gelonos exquis equitare campis*. Dubitationem illam si quis ita tollendam putat, ut, cum Mercurium Octavianum quendam hic habeamus, deum, quippe qui vere sit Octavianus, procedente oratione paulatim et occulte in Caesarem Octavianum transisse et mutatum esse statuamus, hoc equidem nego admitti posse, quia modo praecessit *hic magnos potius triumphos, hic ames dici pater atque princeps*, quibus verbis eum de caelo descendisse clare indicatur, ut non tam subito idem terrae filius, Caesar Augustus, fieri possit. Huic difficultati quomodo occurrendum esset cum diu et multum meditatus essem, postremo in hanc incidi suspicionem, ut conicerem scribendum esse:

neu sinas Medos equitare inulto,  
te duce, Crasso.

quo simul etiam *equitare* aliquanto magis definiretur; in tanta autem Caesaris et Crassi nominum similitudine, praesertim si scriptura obscura et evanida esset, facile errorem nasci potuisse, indeque etiam *inulto* in *inultos* mutandum fuisse; fortasse etiam ablativorum absolutorum implicationem, quamquam re vera nulla in ea est obscuritas, in causa fuisse. Hanc meam coniecturam quodammodo confirmari vidi, cum scholia inspexissem; nam Acron haec habet: *Medos. Parthos a quibus Crassus occisus est, quo pereunte (caeso comm. Cruqu.) ortum est bellum civile. Lucanus de eodem (I, 11):*

*umbraque erraret Crassus inulta.*

Eadem leguntur apud commentatorem Cruquianum, ubi omissum est *de eodem*. Et quamquam nunc iam quartus annus agitur, tamen etiam nunc verum mihi vidisse videor. Ita autem si scribitur, manifesto haec verba respiciunt v. 22, ut haec sit sententia: quod Iulius Caesar voluit, sed quominus faceret et Crassi interitum ulcisceretur caede prohibitus est, id tu perficias.

Quae in verbis v. 50: *hic ames dici pater atque princeps* esse putatur difficultas, non magnopere me movet. Nam cum incertum sit quo anno Horatius hoc carmen scripserit, si compositum est priusquam Augustus in illa apud Dionem Cassium LIII 4 oratione, quam a. 727 septimum consulatum iniens habuisse dicitur, Caesaris ultorem se profiteretur, quo referenda putant verba v. 44 *patiens vocari Caesaris ultor*, hoc eum iam antea nec semel, quamquam non in senatu, fecisse probabile est; pater autem patriae etsi sexto demum post Horatii mortem anno appellatus est, tamen poeta facile divinare potuit id novo Caesari eventurum esse, cum Iulius Caesar eodem titulo honoratus fuisset. — Iam his rebus ut potui compositis carmen ipsum descriptum dabo:

<p>Iam satis terris nivis atque dirae grandinis misit pater et rubente dextera sacras iaculatus arces 4. terruit urbem. 13. vidimus flavom Tiberim retortis litore etrusco violenter undis ire deiectum monumenta regis 16. templaque Vestae.</p>	<p>str.</p>	<p>sive tu mavis, Erycina ridens, quam locus circum volat et Cupido; 35. sive neglectum genus et nepotes respicis auctor; 41. sive mutata iuvenem figura ales in terris imitaris, almae filius Maiaie, patiens vocari Caesaris ultor:</p>	<p>ant.</p>
---	-------------	---	-------------

- |   |             |  |             |
|---|-------------|--|-------------|
| 21. audiet cives acuisse ferrum,<br>quo graves Persae melius perirent,<br>audiet pugnas <i>vitis</i> parentum<br>24. rara inventus.<br>29. cui dabit partes scelus expiandi<br>Iuppiter? tandem venias precamur<br>nube candentes humeros amictus,<br>augur Apollo; | <i>str.</i> | 45. serus in caelum redeas diique<br>laetus intersis populo Quirini,<br>neve te nostris <i>vitiis</i> iniquum<br>ocior aura<br>tollat, hic magnos potius triumphos,<br>50. hic ames dici pater atque princeps,<br>neu sinas Medos equitare inultos<br>te duce, Caesar. | <i>ant.</i> |
|---|-------------|--|-------------|

Cum stropha usque ad v. 32 prodigia, scelus, expiationis precatio contineatur, iam carmen absolutum esse possit; sed Horatius id potissimum egit, ut Augustum pacis et salutis restitutorem tanquam deum — divini enim honores iam ei haberi coepti erant — colendum celebraret. Itaque in antistropha expiationis munus ab Apolline ad quem proprie pertinebat ad Venerem Aeneae matrem et ad Martem Romuli patrem, Romanorum proavos iisque coniunctissimos, transfert et ab his ad Augustum, cuius personam Mercurius deorum et hominum internuntius sceleris illius expiandi causa induerit. Augustus igitur vere munus illud exsequitur. In responsione autem stropharum poeta rem ita instituit, ut vv. 21 et 22 Iulius Caesar per nefariam caedem immatura morte populo Romano ereptus, eodem antistrophae loco vv. 45 et 46 Augustus eius successor longa vita a dis donandus induceretur, populi vero sceleri per bella civilia commisso (vv. 23 s.) opponeretur votum, ne Augustus civium culpa ocior in caelum auferretur (vv. 47 s.); aptissime igitur verba *vitis parentum* et *nostris vitiis* eundem utrobique locum habent\*). Expiandi denique sceleris quasi consummatio est Crassi ultio quam Iulius Caesar susceperat ab Augusto exsequenda.

### CARM. III 16.

In hoc carmine ut audacior etiam quam in praecedentibus exemplis interpolatio fuit, ita audacius critico est agendum. Non enim tantum integrae strophae illatae sunt, sed cuius rei iam I 27, 19—22 exemplum vidimus, mediis Horatii strophis interpolatio ita inserta est, ut hae discinderentur. Recte hoc vidit Peerlkampius vv. 11—15 eliminans:

— concidit auguris  
 argivi domus ob lucrum  
 demersa exitio; diffidit urbium  
 portas vir Macedo et subruit aemulos  
 reges muneribus.

Peerlkampii argumentis non ex omni parte veris ego haec addo: neque recte Eriphylae et Philippi exempla media inter ea quae de vi auri generatim, non nominatim dicta sunt interposita, neque iusto ordine collocata sunt; nam cum ad illustranda verba vv. 9 et 10 prius Philippi exemplum (v. 14) afferatur, huic praecedit Eriphylae exemplum quod alio pertinet. Deinde Peerlkampius seclusit verba vv. 18—22:

— iure perhorru  
 late conspicuum tollere verticem,

\*) Cfr. praeter III 11, 9 et 41 *quae velut*, quod supra habuimus, I 10 3 et 11 *vocce*, 17, 8 *metuunt*, 24 *metues*, II 2, 9 *regnes*, 21 *regnum et*, I 23, 3 (demptis vv. 5—8) *matrem non sine vano*; 11 *tandem desine matrem*, III 28, 2 *Neptuni*, 10 *Neptunum*; alia exempla I 3 et 7 monstrabant. Cfr. Soph. Ant. 335 et 345 *πόντου*, 614 et 625 *ἐπὶ τὸς ἄρας*, alia alibi multa.

Maecenas, equitum decus.  
 quanto quisque sibi plura negaverit,  
 ab dis plura feret;  
 postremo vv. 38 (ubi *nec mi plura velim* scribendum putat) —42:  
 — tu dare deneges.  
 contracto melius parva cupidine  
 vectigalia porrigam,  
 quam si mygdoniis regnum Alyattei  
 campis continuem.

De his mihi cum eo non omnino convenit. Sed antequam singula pertractem, praefanda mihi haec sunt: magnopere me offendit, quod Horatius quod semel fecisse satis erat, id ter fecit, ut parvae rei possessorem feliciorer diceret vel ditissimo; primum vv. 22—28:

nil cupientium  
 nudus castra peto et transfuga divitum  
 partes linquere gestio,  
 contemptae dominus splendidior rei,  
 quam si quidquid arat impiger Appulus  
 occultare meis diceret horreis,  
 magnas inter opes inops;

deinde vv. 29—32: *purae* — *beatior*; tertio denique loco vv. 39—42: *contracto* — *continuem*. At qui beatum se esse et plane contentum nimium affirmat, iustam veritatis movet dubitationem, praesertim si diti patrono dicat: *nec si plura velim, tu dare deneges* (v. 38), quae verba admonent Epod. 1, 31: *satis superque me benignitas tua ditavit*, et Carm. II 18, 11 ss.: *nihil supra deos lacesso nec potentem amicum largiora flagito*. Sed iam singula videamus.

Merito Peerlkampius offendit vv. 18 s. in verbis *iure perhorruī late conspicuum tollere verticem*, quamquam non recte dicit *verticem tollere* esse superbiam sibi sumere, ut I 18, 15: *tollens vacuum plus nimio gloria verticem*; nam gloria, i. e. gloriae cupiditas si vacuum plus nimio verticem tollit, de consulto hoc facit, sed qui late conspicuum verticem tollit, potest etiam necessario id facere, quia natura altus est eoque late conspicitur. Imo eo peccatum est, quod cum haec dicendi formula latius pateat et, si nihil additur, de nobilitate, honore, potentia potius accipiatur, hic de divitiis, quas certe non primo loco cogitamus, intelligitur. Ergo oratio non satis definita est. Nec minus recte Peerlkampius proxima: *quanto* — *feret* reprehendit. Quae si eo fere sensu accipi possent, quo Ev. Matth. 6, 19 s. dicitur: *μη θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς ἐπὶ τῆς γῆς, — θησαυρίζετε δὲ ὑμῖν θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ*, per se ipsa probanda quidem forent, sed ab Horatii mente quam maxime aliena. Ut nunc se res habet, neque verum est, quo sibi quisque plura negaverit, eo plura eum a dis ferre, i. e. ditiorer fieri, nisi *suum defrudans genium comperserit* (Terent. Phorm. I 1, 10), neque cum Horatii verbis v. 43 convenit: *bene est, cui deus obtulit parca quod satis est manu*.

Qui nihil cupiunt quoniam et divites et pauperes esse possunt, utrique recte dicantur *nudi nil cupientium castra petere*, illi relictis et abiectis opibus, hi quia nihil aut pauca habent; sed *transfuga divitum partes linquere gestire* dici non potest pauper, quia non est in divitum numero, nisi divitiarum appetens eorum assecla intelligitur. Atque inversus est naturalis rerum ordo; nam qui locum relinquere *gestit*, nondum alium *petit* nisi cogitatione et voto; qui petit, priorem locum iam relinquit aut reliquit. — Deinde verba v. 25 *contemptae dominus splendidior rei* et ambiguitate

obscuritateque laborant, unde quot interpretes, totidem fere interpretationes, et sententiae vitio. Primum enim quaeritur, quaenam res contemnatur et a quo et cui splendeat; nam res contempta dici potest et relicta possessio, a domino contempta, quod hic absurdum est, et, quod hic statuendum, res parva quam qui nihil cupit nunc habet, quae a vulgo contemnitur; splendor vero rei cum ad eos pertineat quibus splendet itaque ex aliorum opinione pendeat, non potest contemptae a vulgo rei dominus ab eodem splendidus putari; beatior ille dici poterat, splendidior nullo pacto, praesertim cum non in aliorum opinione et admiratione vera felicitas posita sit. Sed auctor horum versuum videtur *fulgentem* v. 31 respexisse et verborum *contemptae* et *splendidior* oppositionem voluisse. Vv. 26 s. imitantur I 1, 9 s.: *si proprio condidit horreo quidquid de libycis verritur areis*. Ceterum apud Horatium nusquam alibi synaloephe tales soni oriuntur quales hic v. 14 *Macedo et* v. 23 *peto et*.

Vv. 29—32 Horatius suam Sabinum possidentis sortem ait feliciorum esse magnarum et fertilium terrarum possessione; sed obscura est oratio altera comparationis parte deficiente; *sorte* enim cum non possit esse ablativus comparativus, supplendum est quod desideratur; quod non aliter fieri potest nisi hoc modo: *purae r. a. s. i. p. et segetis certa fides meae fulgentem imperio fertilis Africae fallit sorte beatior quam suum imperium*; quam rationem esse duram etiam id demonstrat, quod interpretes in maxime diversa discesserunt. Recte diceretur: Sabini dominus fulgentem imperio Africae fallit sorte beatior, τὸν Λιβύης ἀρχῆ λαμπρὸν λαθάνει τὸν κληρὸν εὐδαιμονέστερος ὢν. At non in Horatium culpa obscurae orationis cadit, sed in interpolatorem: tollitur omnis obscuritas et luce clariora sunt omnia, si eiectis vv. 33—40 ultima stropha vv. 41—44 cum v. 32 iungitur: *purae — fallit sorte beatior, quam si mygdoniis regnum Alyattei campis continuem*. Quod recte fieri et ab Horatio sic scriptum fuisse ut probetur, accuratius examinandi sunt versus interpositi 33—40:

quamquam nec calabrae mella ferunt apes,  
nec laestrygonia bacchus in amphora  
35. languescit mihi, nec pingua gallicis  
crescunt vellera pascuis,

inportuna tamen pauperies abest;  
nec si plura velim, tu dare deneges.  
contracto melius parva cupidine  
40. vectigalia porrigam.

Peerlkampius v. 35 *tenuia* pro *pinguia* scribendum non recte censet; certe non debebat Verg. G. II 121 afferre, ubi non de ovium velleribus sermo est; cfr. Columella d. r. r. VII 4: *saepius eius* (ovis graecae s. tarentinae tectae s. pellitae) *lana diducenda vinoque et oleo insuccanda*; et vir rei pecuariae peritus interroganti mihi respondit pinguedinem laudem esse vellerum. Miri tamen quiddam mihi habere fateor, quod *vellera* dicuntur *crescere in pascuis*. Sed haec ut mittam, qui modo Sabini possessor beatior se dixerit Africae domino, eum affirmare, quamquam nec calabra mella nec formianas vineas nec gallicas oves possideat, non premi se importuna paupertate, et inutile est et, ne dicam importunum, parum decorum, praesertim si Maecenati cuius dono eam villam habet hoc carmen scripsit; ac ne proxima quidem verba: *nec si plura velim, tu dare deneges*, pudorem Horatio dignum ostendunt. In his ipsis vero quod Peerlkampius eiciens *tu dare deneges — continuem* scribit *nec mi plura velim*, haec pronominis forma pro *mihi* quamquam saepius in Sermonibus, semel in Epistolis legitur, nusquam invenitur in Carminibus et Epodis; praeterea Gruppius non semel et recte quidem monuit, interpolationem quamvis audacissimam et non raro impudentissimam tamen verbis Horatii religiose pepercisse neque quidquam mutasse\*). Postremo etsi v. 40 *vectigalia*

\*) Unum locum ego excepiendum puto C. III 5, 18. Legitur vv. 13 ss.: *hoc caverat mens provida Reguli | dissentientis condicionibus | foedis et exemplo trahenti | perniciem veniens in aevom, | si non periret in miserabilis | ca-*

privatos reditus possunt significare, neque verba necessario ita accipienda sunt ut ab Acrone et a comm. Cruqu. quibus Peerlkampius assentitur factum est: *parvus* (*paucorum* comm. Cruqu.) *possessor minora persolvam tributa*, tamen vv. 39—42 verba *contracto* — *continuem* non omnino veram praebent sententiam; nam Phrygiae et Lydiae dominus ut male utatur vectigalibus suis non est omnino necessarium; sin vero recte iis utitur, melius et latius ea potest porrigere quam parva sua Horatius villae Sabinae possessor. — Omissis igitur quae dixi carminis forma haec est:

Inclusam Danaen turris aenea	<i>str.</i>	crescentem sequitur cura pecuniam	<i>ant.</i>
robustaeque fores et vigilum canum		maiorumque fames. iure perhorru	
tristes excubiae munierant satis		19. late conspicuum tollere verticem	
nocturnis ab adulteris,		28. magnas inter opes inops.	
5. si non Acrisium virginis abditae		purae rivus aquae silvaeque iugerum	
custodem pavidum Iuppiter et Venus		30. paucorum et segetis certa fides meae	
risissent: fore enim tutum iter et patens		fulgentem inperio fertilis Africae	
converso in pretium deo.		fallit sorte beatior,	
aurum per medios ire satellites		41. quam si mygdoniis regnum Alyattei	
et perrumpere amat saxa <i>potentius</i>		campis continuum. multa <i>petentibus</i>	
11. 15. ictu fulmineo; munera navium		desunt multa: bene est, cui deus obtulit	
saevos inlaqueant duces.		parca quod satis est manu.	

Simplex carminis ratio et argumenti tractatio est: stropha docet quanta vis auri sit, antistropha aurum et divitias, quippe quarum incrementum plerumque plurium cupiditas sequatur, negat beatum reddere posse; beatam vitam in contento suis rebus animo esse positam; illud poeta Acrisii et Danaae, hoc suo exemplo illustrat; utrumque duarum stropharum ambitu continetur; in stropha exemplum generali sententiae praecedit, in antistropha medium locum habet generali sententia partim antecedente, partim sequente, qua re efficitur ut carmen elegantissime concludatur ea sententia, in qua summa est argumenti: *bene est, cui deus obtulit parca quod satis est manu*. Ceterum etiam ex hac congruentia apparet Amphiarao et Philippo vv. 11—15 nullum esse locum. Deinde quae verba adhuc indefinitam praebebant sententiam v. 19: *late conspicuum tollere verticem*, nunc, cum additum sit *magnas inter opes inops*, satis distincta et definita sunt: iure non fuit mihi animus divitiis excellere ea conditione ut tamen inops mihi viderer propter insatiabilem cupiditatem; cfr. v. 42; 24, 63; Epp. I 2, 56 \*). Deinde quod villa Sabina cum Mygdonia et Lydia comparatur, non

*ptiva pubes*. „*signa ego punicis | adfixa delubris et arma | militibus sine caede*“ *dixit* | „*derepta vidi*. Levioris momenti est quod cum in versu Alcaico Horatius non raro et priorem partem dimidiam et posteriorem uno vocabulo comprehendat, nullo alio praeter hunc v. 14 loco totus versus duabus vocibus continetur; neque multum tribuo ei rei, quod *trahenti* dubitationi locum dedit; sed gravius est quod v. 17 violata certa quam sibi Horatius posuerat lege *periret* ultimam habet brevem syllabam, cum deberet esse longa. Denique *signa* v. 18 attributum aliquod desiderant. Tam omnia recte se habent, si omissis vv. 14—17 et una littera mutata legimus: *hoc caverat mens provida Reguli*. | „*captiva pubis signa ego punicis | adfixa delubris et arma | militibus sine caede*“ *dixit* | „*derepta vidi*. Omissos versus nemo nisi qui scit omissos esse desiderabit.

\*) Simile vitium commissum est III 20, 6: *ibit insignem repetens Nearchum*, ubi *insignem* sic nude positum de pulchritudine non potest intelligi; plane diversum est, si de artis opere sermo est, quod maxime pulchritudine censetur, ut statua, pictura, carmen, alia eiusmodi insignia dicuntur; Serm. II 3, 241 *insignis baca* quomodo accipienda sit non est dubium; at insignis adolescentis laus ad ingenium et mores potius refertur. Sed alia non pauca in hoc carmine offendunt, unde Peerlkampius obscurum dicit et vix Horatio dignum, Schwenckius *unbedeutend und stümperhaft*. Exilis sane argumenti est, ut alia quaedam paucorum versuum poematia, sed non ineptum; neque huius vitii culpam Horatius fert, sed interpolator. Sed spectemus singula. Si Pyrrhus v. 3 dura proelia fugiet

etiam, ut in libris traditum est, cum Appulia et Africa, quibus calabra mella, formianae vineae, gallici ovium greges accedunt, tolluntur eiusdem sententiae variationes in quibus nulla rei ipsius varietas est. Quoniam autem Phrygiae et Lydiae dominus opulentior est Africae provinciae possessore, recte et apte hic dicitur nescire Sabini dominum non modo se, sed etiam illo beatiorem esse. Dum vero Horatius dicit: *fulgentem imperio fertilis Africae fallit*, hunc significat suam et Horatii sortem comparare et hanc prae sua contemnere. *Continuem* v. 42 etsi esse potest i. q. una possideam, tamen hic puto adiungendi et plura appetendi studium indicari; nam *multa petentibus desunt multa*; multa autem possidentibus, si suis rebus contenti sunt, nihil deest. — Postremo quod hoc carmen iam non ad Maecenatem scriptum est, nihil in eo reperitur quod ad huius personam referatur, et in tradita nobis forma sunt adeo dicta quae eum possent offendere. At interpolatores non modo Horatii carmina suis versibus insertis Maecenati dedicaverunt, ut I 1, II 20, sed etiam tota carmina eo consilio ipsi finxerunt I 20, III 8.

## CARM. I 12.

Hoc carmen priusquam quomodo ab interpolatore incredibilem in modum partim insulsissimis additamentis auctum et corruptum sit demonstro, ea forma descriptum exhibebo, quam Horatium ei dedisse mihi persuasum est.

Quem virum aut heroa lyra vel acri *proodus.*  
tibia sumis celebrare, Clio?  
quem deum? cuius recinet iocosa

## 4. nomen imago?

13. quid prius dicam solitis parentis *str.*  
laudibus, qui res hominum ac deorum,  
15. qui mare ac terras variisque mundum  
temperat horis,  
unde nil maius generatur ipso,  
nec viget quidquam simile aut secundum?  
proximos illi tamen occupavit  
20. Pallas honores

25. dicam et Alciden puerosque Ladae, *ant.*  
33. 37. Romulum post hos animaeque magnae  
38. prodigum Poeno superante Paullum  
40. Fabriciumque.  
hunc et incomptis Curium capillis  
utilem bello tulit et Camillum  
saeva paupertas et avitus arto  
cum lare fundus.

inaudax raptor, non potest grande certamen (v. 7) committi; praeterea etsi Peerlkampius absurdam librorum scripturam (nisi interpolatoris est vitium) *tibi praeda cedat maior, an illi ingeniosissime emendavit: tibi praeda cedat, maior an illa*, tamen *grande certamen* quomodo praecedentibus verbis iungendum sit obscurum est; si appositio putatur, oratio valde dura est et vix ferenda; neque vero apodosis esse potest, nisi post v. 4 plenius Interpungitur, sed ita male diiunguntur quae natura copulata sunt. Deinde cum puella quae v. 2 gaetulae leaenae comparatur v. 6 Nearchum, non catulos, repetens necessario iam non leaena, sed puella sit cogitanda, v. 10 Nearchum suam formam retinente iterum fit leaena atque leonis natura exuta apri morem assumens *dentes acuit timendos*; cfr. Hom. II. A. 416, N. 474; puellae vero dentes acuentis species foret foedissima. Neque Nearchus, qui modo praeda dictus est, quod iam v. 11 arbiter pugnae appellatur, convenienter factum videtur. Postremo etsi Nearchi descriptio satis est venusta, nullo modo ferri potest v. 13 *fertur* de re praesenti quae in oculis et Horatii et Pyrrhi agitur. Omnibus his quae dixi incommodis liberamur, si ab Horatio statuimus carmen sic scriptum fuisse:

Non vides quanto moveas periclo,  
Pyrrhe, gaetulae catulos leaenae?  
dura post paullo fugies inaudax  
proelia raptor,

5. cum per obstantes iuvenum catervas  
6. ibit insignem repetens Nearchum,  
15. qualis aut Nireus fuit aut aquosa  
raptus ab Ida.

Iam Nirei et Ganymedis comparatione Nearchum forma et pulchritudine insignem esse manifestum est.

proeliis audax; neque te silebo,  
Liber, et saevis inimica virgo  
beluis, nec te, metuende certa  
Phoebe sagitta.

str.

45. crescit occulto velut arbor aevo  
fama Marcelli; micat inter omnes  
Iulium sidus velut inter ignes  
luna minores.

ant.

Etsi equidem non magnopere mirabor, si quis omnem audaciae modum me excedere putabit, qui duodecim strophas in septem redegerim, ultimas tres omiserim; tamen iis certe, qui argumenta mea libero iudicio perpendere volent, rationem meam probaturum me esse confido. Non paucae huius carminis ut in libris legitur difficultates et offensae iam Bentleium, Buttmannum (in *Mythologo* I p. 26—47), alios occupaverunt; nuper autem Peerlkampius, Bernaysius, Linkerus, Gruppius, alius alio modo eas tollere conati sunt, in eo tamen consentientes, interpolatione carmen esse contaminatum. Quorum Peerlkampius quattuor strophas, vv. 33—48, eliminat, Bernaysius duas, vv. 37—44, Linkerus unam, vv. 29—32, Gruppius sex, tres primas et tres ultimas, vv. 49—60. Noli tamen credere, vir clarissime, eo me mihi maiorem laudem quaerere, quod vel Gruppium stropharum eiectionum numero superaverim; imo nisi melioribus argumentis meam rationem firmavero, quin iustam censuram subeam non recusabo.

Quale nunc carmen legimus, tres strophae prooemium continent, totidem Iovis, Minervae, Bacchi, Dianae, Apollinis laudes, duae Herculis et Tyndaridarum (sed propemodum totae his sunt dicatae), quattuor Romanorum clarorum, tres denique Augusti; quam partium rationem iustam et congruentem esse vix quisquam affirmabit, qui quantam Horatius in hac re posuerit curam ac diligentiam cogitaverit. Veruntamen hoc ut levioris momenti mittam: maiora et graviora mihi transigenda sunt. Post primam stropham hae duae leguntur:

5. aut in umbrosis Heliconis oris,  
aut super Pindo gelidove in Haemo?  
unde vocalem temere insectatae  
Orphea silvae

arte materna rapidos morantem  
10. fluminum lapsus celeresque ventos,  
blandum et auritas fidibus canoris  
ducere quercus.

Horatius cum Romae aut prope urbem sit, non perspicio quomodo Musae concedat ex tribus locis longe remotis quem velit eligere, nisi ab ea se ipsum eo abductum iri putet, neque omnino cur locum incertum relinquat. Praeterea nullum novi horum carminum locum, quo tribus nominibus ut hic coniunctis primoque eorum et tertio attributis ornato alterum nudum sine epitheto positum sit, ut hic scriptum est *super Pindo*, cum Helicon et Haemus attributa sua habeant. Quod vero gravius est, quomodo cum deos, heroas, viros celebrare velit, idque partim paucis verbis, partim solis nominibus dictis faciat, conveniens putare potuit Haemi appellationi Orphei laudem tam multis verbis addere? In verbis ipsis quae partim imitantur I 24, 13 et Epp. II 3, 394 s. iam Peerlkampius notavit post silvas memorari quercus et ab iis distingui. Recte igitur Gruppius has duas strophas damnavit; quod autem idem etiam primam iis addidit, nequaquam probandum est; nam ne carmen a quarta stropha incipiat, quantumvis ille hoc initium: *quid prius dicam*—? admiretur uniceque ferendum pronuntiet, non ego solus repugnare mihi videor. Scilicet etsi prima stropha Quintiliani testimonio VIII 2, 9 munita est, Gruppius, qui Horatium semper suum, semper novum, nunquam aliorum ac ne sui quidem imitatore esse censeat, omnes fere locos, quibus Horatius Graecos poetas imitatus est aut ipsa eorum verba expressit, ut hic Tyndarum Ol. 2, 2, interpolatos dicit; et propterea in hac stropha multa sine iusta causa reprehendit. Hoc unum moneo, cum scriptum sit *quem virum aut heroa — quem deum?* viros et heroas, quippe qui antea viri fuerint, iunctos dis opponi.

Bernaysius quod v. 13 Musam ipsam, quia Iuppiter parens dicatur, a poeta provocatam canentem induci putat, mihi tantum abest ut arrideat, ut mira mihi haec opinio videatur; *parentis* autem nomen cum relativa membra *qui — temperat horis, unde — secundum* sequantur, nullam habet difficultatem; atque etiam si nihil additum esset, posset conferri I 2, 2, ubi *pater* Iovem significans eodem modo sine attributo positum est. Interrogandi signum tamen non post *laudibus* ponendum. Ceterum Bernaysium hic error induxit ut, cum Musa non posset dicere *gratus insigni referam camena*, propterea duas strophas maximam partem egregias et necessarias, partim etiam a Quintiliano testatas, vv. 37—44 eiceret. — V. 21 unice vera est Bentleyi ratio verba *proclis audax* praecedentibus iungentis et ad Palladem referentis; quod nisi fit, dea sola caret muneris et virtutis notatione; Bacchus cum *Liber, Ἐλευθερος, Ἐλευθέριος, Αἰαῖος, Ἀΐσιος*, dicatur, talem notationem hac ipsa appellatione accepit. Vv. 25—40 leguntur haec:

25. dicam et Alciden puerosque Ladae,  
hunc equis, illum superare pugnis  
nobilem: quorum simul alba nautis  
stella refulsit,  
defluit saxis agitatus humor,  
30. concidunt venti fugiuntque nubes  
et minax, quod sic voluere, ponto  
unda recumbit.

- Romulum post hos prius an quietum  
Pompili regnum memorem, an superbos  
35. Tarquini fasces, dubito, an Catonis  
nobile letum.  
Regulum et Scauros animaeque magnae  
prodigum Poeno superante Paullum  
gratus insigni referam camena  
40. Fabriciumque.

In praegressis tribus strophis cum deorum laudes pro eorum dignitate aut pluribus aut paucioribus verbis efferantur, Iovis sex versibus, Palladis plus duobus, paucis verbis Bacchi, Dianae, Apollinis, mirum est Tyndaridis, praesertim cum Hercules nihil nisi nomine signetur, septem versus tribui qui nihil contineant quod ad remp. romanam referatur, propter quod iis priores partes dari posse putes. Praeterea me offendit et quod verbis *defluit saxis agitatus humor* et *minax ponto unda recumbit* idem fere dicitur, et quod, cum defluat saxis agitatus humor, quia venti concidunt, effectus causae praecedit; deinde verba *quod sic voluere*, quae merito multos male habuerunt, plane abundant, quia haec condicio per se ipsa intelligitur. Ac Linkerus quidem in *Spicilegio critico* vv. 29—32 delendos censet (v. 33 idem *an* in *et* et v. 34 *an* in *ac* mutat); sed tum non *simul* modo v. 27 aliter accipiendum est, sed *refulsit* perfectum non convenit et tota sententia mutila est; unde hoc remedio nihil lucratur. Quoniam vero Horatius ubicunque Tyndaridarum una cum Hercule mentionem facit, Carm. III 3, 9, IV 8, 29 ss., Epp. II 1, 5, utrosque pari honore exornat neque aut Herculi aut Ladae pueris plus tribuit verborum, non videtur mihi veri simile eum tantopere hic a consuetudine sua deflexisse, sed ut Herculem, sic etiam illos nomine tantum ab eo significatos esse. Cum v. 26 cfr. Serm. II 1, 26, Propert. IV (III) 14, 18, et cum 27 s. et 30 cfr. Carm. II 16, 2—4.

In sequenti stropha vv. 33—36, *Romulum — letum*, cum minime dubium esse posset quin Romulus conditor urbis et reipublicae Romanae et inter deos receptus heros primo loco nominandus esset, magnopere offendit quod dubitatur hicne an Cato paucis ante annis defunctus prius memorandus sit; praeterea recte a multis dubitatum est an Horatius propter Augustum non convenienter eum omnino hic nominare potuerit. Accedit quod etiam ipsa forma orationis a poetica dictione abhorret. Neque vero minus iustae offensioni fuit Tarquini Superbi mentio. Deinde quomodo Scauri, non optima notae et famae homines nec magnis rebus gestis insignes, digni a poeta haberi poterant qui in hanc honestissimorum virorum Reguli, Pauli, Fabricii, Curii, Camilli, Marcelli societatem reciperentur? Nonne, ut alios taceam, noverat Scipiones? Postremo quid v. 39

sibi vult *gratus*? et quomodo *insigni camena* referuntur quorum pars solis nominibus indicatur? Ne multa, hae quattuor strophae in hanc unam redigendae sunt:

dicam et Alciden puerosque Ladae,  
Romulum post hos animaeque magnae  
prodigum Poeno superante Paullum  
Fabriciumque.

Sic Hercules, Tyndaridae, Romulus ut alibi ab Horatio in pari loco ponuntur. Sed merito quaeras quo iure, etiamsi Cato et Scauri recte cesserint, Numa et Regulus expulsi sint. Non deest quod respondeam. Poeta praeter conditorem reipublicae Romanae eos viros nominavit, qui periculosissimis bellis, gallico, samnitico, Pyrrhi, Hannibalico, cum non tantum de imperio, sed de statu reip., utrum esset necne, dimicaretur, eam defenderunt et conservaverunt, Camillum, Curium, Fabricium, Paullum, Marcellum; his et Iulius Caesar et Augustus (nam *Iulium sidus* utrumque eorum significat) ut conservatores et restitutores reip. adduntur; Regulus vero primo bello punico, quod de imperio proferendo gestum est, non in Italia, sed in Sicilia et Africa magnarum rerum gestarum laudem meruit; ex eadem causa Scipionum, qui non in Italia res gesserunt, mentio fieri non potuit. Tum si attenderis Numam eodem modo quo Tarquinius et Catonem, quos ab interpolatore intrusos esse satis apparet, non ut ceteros solo nomine appellatum esse, sed periphrasis ope: *quietum Pompili regnum* ut *superbos Tarquini fasces* et *Catonis nobile letum*, vix dubitaveris quin ipse quoque interpolationi hunc locum debeat. Ceterum cum heroes, Hercules, Tyndaridae, Romulus, nominentur tantum, virorum nominibus laudis causa paucis, sed elegantissimis verbis additur. Hac mea ratione non solum pulcherrimi de Paulo, Fabricio, Curio, Camillo versus, quos Bernaysius invito Quintiliano (IX 3, 18) teste expellit, conservantur, sed etiam summa et versuum et rerum congruentia apparet: tribus strophis di superi, tribus heroes et viri laudantur; deorum et heroum graecorum septem legimus nomina, sin Ladae pueros ut duos numeramus, octo: Iovis, Palladis, Liberi, Dianae, Apollinis, Herculis, Castoris, Pollucis; tum totidem nomina Romanorum, Romuli, Paulli, Fabricii, Curii, Camilli, Marcelli, Iulii Caesaris, Augusti; Caesarem enim et Augustum iam dixi communi Iulii sideris appellatione comprehensos esse. Hanc tantam congruentiam num casui tribuendam putes? Mihi quidem, qui eam nec quaesivissem neque exspectassem, ut admirationem movit, ita coniecturae meae confirmationem attulit certissimam. — Quod primam stropham proodum feci, idem statuendum II. 19, ubi vv. 1—4 proodus est, 5—16 stropha, 17—24 et (eiectis cum Peerlkampio vv. 25—28) 29—32 antistropha; aliud proodi exemplum videbimus I 3.

Iam relinquatur ut de tribus ultimis strophis vv. 49—60, quas in mea descriptione plane omisi, paucis disputem.

- gentis humanae pater atque custos,  
50. orte Saturno, tibi cura magni  
Caesaris fatis data: tu secundo  
Caesare regnes.  
ille seu Parthos Latio imminentes  
egerit iusto domitos triumpho,  
55. sive subiectos orientis orae  
Seras et Indos,  
te minor laetum reget aequos orbem;  
tu gravi currat quaties Olympum,  
tu parum castis inimica mittes  
60. fulmina lucis.

Gravissimam in his versibus offensam, quod cum poeta supra v. 18 negaverit Iove vigere quidquam simile aut *secundum*, iam sui oblitus vv. 51 s. eum iubet *secundo* Caesare regnare, Buttmannus hoc carmen eleganter tractans (Mytholog. I l. l.) ut alia quaedam incommoda intellexit, sed explicando tollere studuit; ego tamen non dubito, quin si illam disputationem non a. 1806, sed plus viginti annis post, ut egregium illud *Horaz und Nicht-Horaz*, scripsisset, de multis rebus aliter iudicaturus fuerit. Recte vero illa repugnantia Gruppius motus est ut has tres strophas totas resecandas censeret; nec sane vv. 49—52 omissis reliqua conservari possunt. Mihi quidem, ne indignam Horatio Augusti adulationem memorem, totus harum stropharum dicendi color subito alius nec praecedenti carmini conveniens videtur; accedunt etiam rerum commemoratarum et temporum difficultates, quas bene Frankius in *Fastis Horatianis* p. 150 s. exposuit; unde apparet, cum hoc carmen ante Marcelli adolescentis mortem a. 731 scriptum sit (a. 729 scriptum esse magna probabilitate Frankius conicit), non esse locum paucissimae strophae vv. 53—56. Neque iniuria idem miratur, *quod Octavianus vv. 51 et 52 simplici Caesaris, non Augusti* (cfr. tamen III 4, 37, IV 5, 16. 27. 15, 4. 16.) *nomine compelletur, nec cantabricae expeditionis, in qua tunc ipsum versaretur, mentio facta sit, nec intelligere se, cur poeta de Parthis, Seribus et Indis subiectis inania verba fundere maluerit, quam iusta principem laude ornare ob res in Hispania prosperrimo cum successu gestas.* Quae omnia si computaveris, non mirabere quod Gruppii iudicio accedens istas strophas delendas esse censui. Finem autem carminis v. 48 exeuntis: *micat inter omnes | Iulium sidus velut inter ignes | luna minores*, merita laude et admiratione extollit.

Iam ad alteram partem scriptionis meae venio, ut de eorum carminum, quae vulgo monosticha aut disticha habentur, stropha Meinekiana quae dicitur meam sententiam proferam et aliquot eiusmodi poematum interpolationes exponam atque tollam.

Sicut Lachmannus iam Catulli carmen 30 asclepiadeum in strophas quattuor versuum digesserat, ita Meinekius Horatii et monosticha asclepiadei cum minoris I 1, III 30, IV 8, tum maioris I 11, 18, IV 10, et alternantium versuum disticha ex glyconeo et asclepiadeo minore composita I 3, 13, 19, 36, III (9), 15, 19, 24, 25, 28, IV 1, 3, pariterque sapphicum maius quod dicitur I 8, archilochium primum IV 7 et quartum I 4, alcaemania I 7, 28, denique hipponacteum II 18 e quaternorum versuum strophis constare voluit, eumque plurimi post eum editores secuti sunt, cum alii etiam nunc traditum morem tueantur. Cum natura rei postulare videatur ut strophae finis etiam sententiam aut certe maiorem eius partem, velut protasin, terminet, quod etiam in elegiacis distichis quae minores strophae putari possunt plerumque certe fieri videmus, tamen in iis strophis, quae forma ipsa cognoscuntur, maiorem poetae licentiam, imprimis ubi commotioris animi sensus exprimuntur, facile concedemus; at in strophis ex eiusdem generis versibus aut ex alternantibus compositis, cum forma non discernantur, minus liberales erimus. Iam Horatii quae huc pertinent carmina, ut nunc feruntur, partim tota stropharum distinctionem commendant, I 13, 19, III 9, 28, IV 7, quibus I 11 accenseri potest, quia prior stropha ante relativam enuntiationem terminatur, alia unam exceptionem habent, I 4, 8, III 19, IV 1, 3 (nam vv. 17—20 Musae compellationem continent), alia plures, I 3, 7, 18, 36, II 18, III 15, 24, 25 (v. 16 eadem ratio est atque IV 3, 20); I 1 semel v. 28 plenam habet distinctionem, v. 8 minorem, sexies illa lex prorsus neglecta est; I 28 bis ea observatur, sexies negligitur; nusquam observatur III 30 nec IV 10, quod carmen

octo tantum versus habet; IV 8 denique quod triginta quattuor versuum est, nondum huc referri potest. Ita quamvis ea strophae ratio valde dubia videatur, memoratu tamen dignum est praeter IV 8, quod interpolatum esse nunc pauci admodum negaverint, omnium illorum carminum numerum versuum quaternario numero dividi posse; quod cum etiam in iis locum habeat, quae manifesto interpolata sunt, etiam interpolatoribus eam rationem cognitam et sequendam visam fuisse intelligitur. Et in iis quidem carminibus, quae ex glyconeis et asclepiadeis minoribus alternantibus constarent, ipsum Horatium quattuor versuum strophas voluisse perspicuo documento est III 9, ubi ipse et Lydia talibus strophis invicem utuntur; unde non sine veri specie quispiam coniciat etiam in ceteris carminum metris id factum esse, certe in iis in quibus asclepiadeus regnaret. Quam rationem eum a Graecis assumpsisse etsi non pro certo affirmari potest, tamen veri simile est. Sed cum Romanis haec metra ante illam aetatem insolita essent, ut ea cognoscerentur opera danda fuit poetae, quod fieri non potuit, nisi stropharum exitus cum sententiarum fine concurreret. Itaque initio certe, donec Romani iis metris assuevissent, sedulo id curandum fuit; cognito iam usu interdum ut in aliis quattuor versuum strophis, ubi argumenti et sententiarum ratio id pateretur, maior licentia concessa erat. Imprimis vero carmina ex glyconeis et asclepiadeis alternantibus composita cum omnia praeter III 15, quod etiam ex aliis causis mihi magnopere suspectum est, commotioris animi sensus expriment, liberiori rationi locus erat\*). Sed alio quoque modo Horatius usus videtur, quo lectores de stropa in liberioribus carminibus admoneret, ut prima stropa recte conclusa quodammodo mensura carminis esset, ut I 7 A, 8, 18, III 24, quorum I 8 et 18 quattuor strophas habent ita compositas, ut prima et quarta plenas sententias contineant, in mediis sententia e secunda in tertiam transmigret. Praeterea in quibusdam carminibus, quia antistrophica responsio duarum stropharum loco erat, plus sibi videtur permisisse, ut strophas utriusque partis non tam diligenter discerneret aut omnino non distingueret, ut I 28, de quo in priore mea ad Te epistola pag. 14 dixi; quam eandem rationem infra I 7 B, II 18 ostendent. Ac IV 7, quod carmen deleta septima stropa vv. 25—28 sine dubio antistrophicum est, quamquam nihil impedit quominus quaterniones versuum constituentur, sententiarum ratione sic potius videtur a poeta institutum, ut duae ternorum distichorum, senorum versuum, strophae in utraque parte essent. Ceterum tota haec stropharum quaternorum versuum ratio nuper magnopere eo confirmata est, quod etiam in Senecae tragici canticis choricis tales et asclepiadeorum et sapphicorum versuum strophae Horatii haud dubie exemplo factae a G. Richtero et Peipero repertae sunt. Atque ut apud Senecam saepissime eae interpolatione obscuratae et deletae sunt, sic etiam in Horatii carminibus factum videmus. Iam igitur quid interpolatio in his quoque carminibus sibi permiserit, nonnullorum exemplo demonstrabitur\*\*).

\*) In hoc genere maxime memoranda sunt I. 36, quo summum gaudium propter amicum inexpectato ex bello cantabrico reducem exprimitur, (ubi tamen delenda est ultima stropa vv. 17—20; nam amico modo advenienti statim bibacem amicam obtrudere parum decorum et honestum est, nec Damalis multi meri puella debet tantum valere ut omnium oculi in eam, non in Numidam defigantur) et III 24, quod summam publicae et privatae salutis curam et sollicitudinem testatur.

\*\*) Strophae Meinekianae a quibusdam, ut etiam nuper Misnae in philologorum conventu anno 1863 factum legi, obicitur III 12 quod (Bentleiana scilicet ratione) quattuor strophas ternorum versuum contineat. Cum ex Westphalii metrica dissertatione Philologo a. 1863 aut 1864 inserta didicissem a veteribus metricis ionicorum ordines aut in dimetros aut in trimetros, non in longiores versus digestos esse, intellexi Horatianum carmen sic esse metiendum:

## CARM. I 1.

Quod carmen Horatius in fronte libri posuit I 1, in eo non est dubium quin, si quattuor versuum strophas dare vellet, vel maxime curandum ei fuerit ut a legentibus facile et certo agnoscerentur; at ut nunc est, nullo pacto eiusmodi strophae reperiri possunt; nam nisi quod v. 8 media, v. 28 plena interpunctio est, quartus quisque versus in media sententia terminatur. Initium has tantas turbas tollendi factum est, cum Hermannus et paullo post ego, ab hoc editae dissertationis tum ignarus, intelleximus, neque primos duo versus neque ultimos, totidem Horatii esse, sed interpolatos; resectis autem his quattuor versibus sex strophae recte procedunt, sed post v. 26 minima interpunctio est, v. 30 nulla; quo accedit quod et venator et poeta in duas strophas dissectus est, hic autem v. 29 (*me*) non, ut decet ceteris omnibus oppositum, initio strophae, sed in media inducitur. Quorum vitiorum non potest in commotiore animo esse excusatio, quia argumentum carminis maiorem animi commotionem non admittit. Itaque alia in occulto latere menda necesse est. Sed quamquam praeter Peerlkampii infelices maximam partem in hoc carmine conatus Stallbaumius quem Nauckius sequitur, Hanovius, nuperrime Goebelius, alius aliter hanc causam componere studuerunt, tamen vel eo mihi non satis faciunt, quod et Maecenatis allocutionem in eo argumento quam maxime alienam nec convenienti oratione expressam et ultimos duo versus nihilo aptiores conservant. In hoc quidem melius Linkerus rem egit, sed in eo non recte, quod et genuina damnavit, et interpolata retinuit. Maximam vero laudem meruit Gruppius, qui p. 295 ss., si pauca excipias, praeclare de hoc carmine disputavit; qui vellem omnia de quibus egit Horatii carmina tam feliciter tractasset; nec minor ei laus tribuenda est de II 1, 3, 6, 13, 17, III 21, 25, 30 et aliquot aliis, quae aut primus recte constituit, aut ut II 1, 13, III 30 suo Marte cum Prienio consentiens. Iam Gruppii dicta apud ipsum legantur; ego mea ratione quam potero brevissime rem absolvam.

Deletis quattuor qui ad Maecenatem referuntur versibus legimus diversis homines studiis delectari et in iis felicitatem suam ponere, Horatium in lyricae poesis exercendae laude. Producentur olympionices, cui quattuor versus tribuuntur, nobilis Romanus amplissimorum honorum et magistratum petitor, cui duo, latifundiorum possessor, cui totidem, agricola, cui quattuor, mercator, cui totidem, homo otiosae et voluptariae vitae deditus, cui pariter quattuor, miles, cui duo et pars tertii, venator, cui praeter reliquam eius partem tres, denique Horatius, cui sex versus impenduntur. Atqui iam supra pag. II de I 2, 35—40 et pluribus verbis de I 12 pag. 19 monui Horatium in ea re dignitatis rationem habere. Num igitur probabile est, cum senatori et diviti equiti duo versus tribuerit, quattuor versibus agricolam, mercatorem, inferioris ordinis homines, tum desidia illum deditum ab eo ornatos esse? et venatori tanto plus datum esse quam bellatori? Denique cum manifestum sit poetam se cum olympionice comparare (cfr. IV 3, 1—6) eique se opponere,

Miserarum est neque amori  
dare ludum neque dulci  
mala vino lavere aut exanimari  
metuentes patruae verbera linguae cett.;

ita neque vocabula in duo versus dissecari neque alias leges metricas violari. Nesciebam sic iam totum carmen in Rossbachii et Westphalii *Metrica graeca* a. 1856 edita pag. 308 (cfr. pag. 292) descriptum esse; et ita nunc dedit O. Kellerus. Desinant igitur viri docti hoc carmine abuti, quo Meinekium refellant; namque hoc quoque eius rationem confirmat. Aliter, sed illa veterum lege non observata, quattuor versuum strophas dedit Nauckius.

quod illi quattuor, sibi sex versus tribuit, non vacat suspitione. Praeterea cum certum sit, ut olympionicen cum poeta, ita summorum magistratuum petitorum cum divite terrarum domino, agricolam cum mercatore, militem cum venatore componi, quid fiet homine otioso? solusne relinquatur? Nec si numerum illum novenarium spectes, cum mercator qui quintus est medium locum teneat, eum dicas praeter ceteros tam insigni loco dignum esse; imo facilius solitarium illum ibi feras, quippe qui omnibus oppositus sit, quia cum ceteri agendi quodam ardore incitentur, solus contrariam viam sequitur. Accedit quod, ut iam monitum est, si strophicam legem observatam statuimus, non recte v. 29 quae de poeta dicta sunt in media stropha incipiunt. Iam quid inde colligamus? neque agricolae, neque mercatori, neque voluptuario homini locum esse, venatori autem duo versus adimendos 27 et 28, poetae itidem duo, vv. 30—32 verba: *me gelidum nemus | Nympharumque leves cum Satyris chori | secernunt populo*. Horrendum vero facinus! inquiet quispiam. At sunt etiam aliae rationes quae id suadeant. Qui Olympiae certant et poeta solo laudis et gloriae studio aguntur, qui honores et magistratus petunt, opes et potentiam sectantur, magnorum praediorum domini divitias, miles gloriam, praedam, altiores gradus, venator, cui cum milite laborum et quaedam periculi et certaminis communitas est, praeter ferarum praedam ipsa animi et corporis commotione et incitatione quae cum venatione coniuncta est delectatur: hi omnes igitur suo quisque et diverso studio moventur; at agricola et mercator, quamquam inter se diversi, tamen commune et inter se et cum latifundiorum possessore habent rei et pecuniae augendae studium, ut eiusdem generis alia exempla putandi sint. Deinde quod mercator in tempestatis periculo otiosam domi vitam exoptat, cum agricola ne splendidissimis quidem condicionibus a suo studio se abduci patiatur, plane ab huius carminis consilio abhorret et illius mercatoris, qui Serm. I 1, 6 ss. notatur, admonet. Accedit quod, cum agricolam et mercatorem sibi opponi certum sit, postquam legeris: *gaudentem patrios findere sarculo | agros attalicis condicionibus | nunquam dimoveas, ut trabe cypria | myrtoum pavidus nauta secat mare*, si deinde ad haec venias: *luctantem icariis fluctibus africum | mercator metuens otia et oppidi | laudat rura sui; mox reficit rates | quassas, indocilis pauperiem pati*, sine dubio ut *gaudentem* ad agricolam, ita *luctantem* ad nautae aut mercatoris personam referre voles, cui rationi proxima *icariis fluctibus* favere videntur, donec *africum* nomen te in errorem induxisse intellexeris. Itaque inscite illud factum esse nemo non fatebitur. (Imitando expressum videtur I 3, 11 *africum decertantem aquilonibus*.) Quam ob rem Gruppius erravit priorem harum stropharum posteriori quam alteram auctori adscribens; nam tota earum ratio ab eodem auctore et eodem tempore eas scriptas esse convincit. Verba autem vv. 16 et 18 referunt Carm. II 16, 1 et IV 8, 32. Facilius, ut iam dixi, insequentem stropham per se ipsam elegantem ferrem vv. 19—22: *est qui nec veteris pocula massici | nec partem solido demere de die | spernit, nunc viridi membra sub arbuto | stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae*, quia carmen tum certe plane symmetricam formam habet; sed praeter numerum versuum de quo monui dubitationem mihi movet, quod is homo neque ardenti aliquo studio ceterorum similis est, neque persona eius digna quae in medio collocetur. Ac ne ipse quidem poeta talis vitae osor est, ad quam fruendam non semel amicos invitat, ut II 10, 9—16; nec ceteri opportuno tempore eam spernunt. Versus autem 27 et 28: *seu visa est catulis cerva fidelibus, | seu rupit teretes marsus aper plagas* rectissime iam Linkerus et Gruppius damnaverunt, et hic quidem monens de canibus venaticis, qui naribus et odore potius uterentur, *visa* verbum non satis convenienter positum esse, nec *fidelibus* aptum et proprium iis esse attributum. Vv. 30 s. cum Linkerus et Gruppius *dis miscent — chori deleri velint*, ego ut Schwenckius verba *me gelidum nemus — secernunt populo* eicienda censeo: nam quamquam dum carmina

meditatur poeta solitudinem quaerit, non in hac ipsa summam ponit felicitatem, sed in plausu et frontis praemio; a populo quoque se cupit poetam agnosci et laudari, cfr. IV 3, 22: *monstror digito praetereuntium*; et cum de ceteris dictum sit *iuvat, evehit ad deos, iuvant*, his respondet *dis miscent superis*, non *secernunt populo*. Ultimi denique versus 35 et 36: *quodsi me lyricis vatibus inseres, | sublimi feriam sidera vertice*, praeter ea quae a Peerlkampio, Hermanno, me, Linkero, aliis reprehensa sunt, eo quoque offendunt, quod cum gradatio in iis inesse debeat, haec perperam facta est; nam *dis misceri superis* maius est quam *sublimi ferire sidera vertice*, ut etiam indigna ista Horatio adulatio male cessisse dicenda sit; quam ob rem non magis hi versus poetae tribui possunt quam primorum: *Maecenas atavis edite regibus, | o et praesidium et dulce decus meum*, quibus illi iungendi sunt, abhorrens ab hoc carmine tumor grandiloquus. Resectis vero omnibus quos dixi versibus relinquitur carmen quale decebat in fronte libri collocari, admirabilis concinnitatis et congruentiae, quam Gruppius monstravit, et antistrophicum quidem idque chiasmatica ratione compositum: cum in stropha olympionicae quattuor versus sint, tum honorum petitoris et latifundiorum possessoris totidem inter eos divisi, in antistropha praecedunt inter militem et venatorem distributi quattuor, sequuntur totidem poetae qui olympionicae opponitur. Atque idem chiasmus cernitur etiam in primorum et ultimorum versuum sententiis: vv. 3—6 praecedunt victoriae reportandae condiciones duae: *curriculo — rotis*, sequitur victoriae signum *palma nobilis*, in ultimis praemissae sunt *doctarum hederæ præmia frontium*, sequuntur condiciones horum praemiorum duae, Euterpes et Polyhymniae favor et auxilium. — Iam vero priusquam carmen ipsum describo, tollenda est quae v. 6 nos moratur difficultas, qua Bentleius motus *evehit* in *evehere* mutavit. Haeremus maxime in verbis *terrarum dominos*, qui accusativus neque obiectum esse potest verbi *evehit*, (nam nec Romani, qui terrarum domini dici poterant, significantur, neque ut nuper quendam censere memini, reges et tyranni illi quos Pindarus celebravit, quia de suae aetatis hominibus Horatius loquitur) neque vero appositionis vi ad *deos*, ut plerique opinantur, referri licet: nam etsi di recte terrarum domini dicuntur, id tamen hoc loco fieri nequit, quo *vehere ad deos* figurate significat *summa felicitate afficere*, ut infra *dis miscent superis*; talis vero appositio non magis ferenda est quam si simili aut eodem sensu dicere velis *ad caelum deorum sedem, ad astra vel sidera caeli decora ferre, tollere, efferre, sidera caeli lumina tangere, ferire, sic itur ad astra fulgentia caeli lumina*. Deinde *palmaque nobilis t. d. evehit ad deos* quomodo praecedentibus verbis iungendum sit non apparet, unde Linkerus Withofii coniecturam *si vitata pro evitata* recepit, quae ratio mihi durior et obscurior videtur. Nihil igitur restat nisi ut *terrarum dominos* ad quos v. 3 tanquam appositio referatur; sed leve mendum latere puto, inter *terrarum* et *dominos* excidisse *ut* particulam, quod post litteras finales *um* facile fieri potuit: *sunt quos c. p. o. c. iuvat metaque* (i. e. *et quos meta*) *f. e. r. p. n. terrarum ut dominos evehit ad deos*. Sic recte iunguntur *iuvat* et *evehit ad deos*; ipsum certamen eos iuvat, et spes victoriae quae in meta fervidis rotis evitata posita est palmaque nobilis eos, ut s. tanquam si terrarum domini sint, *evehit ad deos*. Ecce vero iam carmen ipsum:

3. Sunt quos curriculo pulverem olympicum str. collegisse iuvat metaque fervidis
5. evitata rotis palmaque nobilis terrarum ut dominos evehit ad deos; hunc, si mobilium turba Quiritium certat tergeminis tollere honoribus; illum, si proprio condidit horreo
10. quidquid de Libycis verritur areis.

23. multos castra iuvant et lituo tubae permixtus sonitus bellaque matribus ant.
25. detestata. manet sub Iove frigido venator tenerae coniugis inmemor.
29. me doctarum hederæ præmia frontium
30. 32 dis miscent superis, si neque tibiam Euterpe cohibet nec Polyhymnia lesboum refugit tendere barbiton.



Meinekus, Hauptius, Linkerus v. 28: *dignum laude virum Musa vetat mori*, et 33: *ornatus viridi tempora pampino eiecerunt*, Stallbaumius et Nauckius v. 28, Prienius, quo carmen simul antistrophicum fieret, et Gruppius vv. 29—34, Peerlkampius ed. 2. admissa strophica lege vv. 24—26 verba *invida Romuli*. | *ereptum stygiis fluctibus Aeacum* | *virtus et favor et*. Nuper vero C. Lehrsius, quo nemo gravior traditae Horatianorum carminum formae adversarius est, (N. Jahrb. 1864 pag. 173) totum carmen Horatio indignum pronuntiat. Mihi aliter videtur, neque accurate egit Lehrsius in verbis explicandis, dum, postquam recte duo Scipiones vv. 17—19 confusos et metricas leges neglectas notavit, auctorem ipso initio carminis perversitatis incusat: „*Ich würde Erzeschenken, ehrene Schalen und Dreifüsse, wenn ich nemlich reich wäre an Kunstwerken, welche grosse Maler oder Bildhauer geschaffen, Männer wie Parrasius und Scopas, welche geschickt waren in Stein oder in Farben Bildsäulen von Menschen und Göttern zu machen.*“ Neglecta sunt verba *neque tu pessima munerum ferres*, quae ante *divite m. s. artium* leguntur. Nam postquam poeta primis versibus pateras, aera, tripodas sodalibus donandos memoravit, ab his distinguit alia artis opera, tabulas pictas et statuas marmoreas, quarum Censorinus amator fuisse videtur, ut alii sodales paterarum, aerum, tripodum, sed et ditissimus, ut sibi ipse parare posset, et tam multarum possessor, ut iam non plures appeteret (*nec tibi talium res est aut animus deliciarum egens*). Nec video cur non ut *ponere* de statu is dicitur (Epp. II 3, 34, Ovid. Met. VIII, 160), non etiam imagines quae pinguntur *poni* in tabula dici possint, ut in verbis: *hic saxo, liquidis ille coloribus, sollers nunc hominem ponere, nunc deum* nihil vituperandum sit. Reliqua autem omni vitio libera sunt, modo interpolationes tollantur. In his ego a viris doctis dissentio. Nam eiectis verbis illis vv. 15—19: *non celeres fugae — lucratus rediit* offendo in Aeaci persona vv. 25—27: *ereptum stygiis fluctibus Aeacum* | *virtus et favor et lingua potentium* | *vatum divitibus consecrat insulis*. Tota antiquitas et ipse Horatius (II 13, 22 *iudicantem vidimus Aeacum*) Aeacum inferorum iudicem facit, quis in beatorum insulas post mortem a dis missum dicat equidem nescio. Licuit epicis poetis, licuit tragicis, licuit lyricis, ut Pindaro, si certo aliquo consilio deorum et heroum fabulis longiore oratione immorarentur, eas immutare, non licuit Horatio, qui tantum illustrandae sententiae causa iis uteretur, a communi opinione recedere, neque ad hoc refutandum afferri potest Tithonus, quem nauta tales fabulas irridens I 28, 9 s. mortuum dicit; ipsi Horatio, ut vulgo credebatur, *longa Tithonum minuit senectus* II 16, 30. Accedit quod Romulus etiam I 12, 33, III 3, 15, Epp. II 1, 5 nullo alio intercedente cum Hercule, Tyndaridis, Libero coniungitur. Cum his autem tribus versibus una eliminandus est qui sequitur 28: *dignum laude virum Musa vetat mori*; nam de Aeaco haec dicta sunt, de Romulo vero: *caelo Musa beat*. Postremo Liber, quamquam locis modo laudatis cum Romulo compositus, hic eiciatur necesse est; quia praeterquam quod duo versus abundant, notatio eius parum apta est. Ut Herculem poeta non sine *ἀδηνάγων, βομφάγων, γυλίον* irrisione Iovis optatis epulis interesse et Tyndaridas ab infimis aequoribus quassas rates eripere dicens quae eorum erant propria iis tribuit, ita etiam in Liberi persona facere debebat; vota autem ad bonos exitus ducere omnium deorum commune est, non illius proprium. Abeant igitur vv. 33 et 34: *ornatus viridi tempora pampino* | *Liber vota bonos ducit ad exitus*, quorum prior ex III 25, 20 fictus est. Huius vero interpolationis auctorem strophicam legem ignorasse apparet; addidisse autem videtur, quia alibi Liber cum Hercule et Tyndaridis iunctus invenitur; sed similiter Epp. II 1, 5 Hercules praetermissus est, et Bacchus ab Hercule et eius sodalibus eo differt quod dis maiorum gentium additus est, inter quos etiam I 12, 21 recensetur, non cum Hercule, Ledae pueris, Romulo. Totum vero carmen, ut Prienius censuit, antistrophicum est.

Donarem pateras grataque commodus,  
 Censorine, meis aera sodalibus,  
 donarem tripodas, praemia fortium  
 Graiorum, neque tu pessima munerum  
 5. ferres, divite me scilicet artium,  
 quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,  
 hic saxo, liquidis ille coloribus  
 sollers nunc hominem ponere, nunc deum.  
 sed non haec mihi vis, nec tibi talium  
 10. res est aut animus deliciarum egens.  
 gaudes carminibus; carmina possumus  
 donare et pretium dicere muneris.

str.

non incisa notis marmora publicis,  
 per quae spiritus et vita redit bonis  
 15. 19. post mortem ducibus, clarius indicant  
 20. laudes quam calabrae Pierides; neque  
 si chartae sileant quod bene feceris,  
 mercedem tuleris. quid foret Iliac  
 Mavortisque puer, si taciturnitas  
 24. obstaret meritis invida Romuli?  
 29. caelo Musa beat. sic Iovis interest  
 optatis epulis inpiger Hercules,  
 clarum Tyndaridae sidus ab infimis  
 quassas eripiunt aequoribus rates.

ant.

In antistropha igitur poeta pretium dicit carminis. In utraque autem parte pariter primae strophae fine non terminatur sententia. Praeterea moneo etiam nunc ut olim me v. 20 calabras Pierides non ut vulgo de Ennii carmine accipere, quae interpretatio Scipioni ab interpolatore illato debetur, sed de ipsius Horatii carminibus, ut iam Porphyrius explicavit: *sua vult intelligi carmina, quia in urbe venusina natus est, quae est in Calabria atque Appulia*. Cfr. IV 6, 27: *dauniae defende decus camenae*. Assentitur mihi Gruppius. — V. 11 *carminibus, carmina* III 16, 15 interpolator videtur imitatus esse: *muneribus, munera*.

### CARM. I 4 et IV 7.

Haec duo carmina ut eiusdem argumenti sunt easdemque fere sententias proponunt, ita pariter epodicam formam habent; differunt eo, quod prius a iuniore poeta factum ultimis versibus magis iuvenilem aetatem prodit, alterum maturiorem et perfectiorem artem exhibet; nam in illo verba: *pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres* abruptius subiciuntur, multo lenius in altero v. 7 *immortalia ne speres*; et omnino in hoc molliores sensus exprimuntur. In illo cum Peerlkampius duo versus, 2 et 3, *trahuntque siccas machinae carinas, | ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni*, spurios declaret, non de his modo assentitur Gruppius, sed etiam vv. 13–20 resecat. Quibus utitur argumentis, ea non opus mihi videtur refutari; quod tamen Quintilianum VIII 6, 27 scribentem: *Illud quoque et poetis et oratoribus frequens, quo id quod efficit ex eo quod efficitur ostendimus; nam et carminum auctores: „pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres,“ et „pallentesque habitant morbi tristisque senectus,“ et orator praecipitem iram, hilarem adolescentiam, segne otium dicit*, quia auctoris nomen non est additum, conicit interpolationis Horatii suspicionem habuisse eoque nomen suppressisse, si attentius Quintiliani verba inspexisset, virum acutissimum fugere non poterat quam levis haec coniectura esset. An etiam Vergilii verba Aen. VI 275 et oratoris interpolata esse Quintilianus significare voluit? Imo poetas generatim dixit, exempla autem summorum, Horatii et Vergilii attulit. Praeterea Gruppius deletis secundo et tertio versibus pariterque IV 7, II 18, III 24 exemptis duobus versibus strophicam Meinekii legem, quam in ceteris pro vera agnoscit, perperam sustulit; ac ne I 7 A et B quidem eius sententiae favere mox videbimus.

Iam ut de I 4 vv. 2 et 3 agamus, quamquam quibus argumentis Peerlkampius eos spurios esse demonstrare studuit, ea nullius paene momenti sunt, tamen de ipsa causa recte iudicavit. Quod quidem ille *trahunt* propter metrum in dubium vocat, etsi ceteri huius metri versus in hoc carmine longam primam primi iambi habent, contraria ratione II 18 idem versus duodevicesies

a puro iambo, bis tantum vv. 6 et 34 a spondeo incipit; machinae autem quoniam funibus trahuntur, ipsae trahere dici possunt, ut vehiculum dum vehitur simul vehit. Nec magis idem vir doctissimus particularum v. 3 rationem merito reprehendit. At graviora me offendunt. Primum cum et v. 1 et v. 3 naturae quaedam actiones memorentur, non recte et apte his hominum actiones mediae inseruntur, naves in mare deducuntur, pecus e stabulis in pascua agitur, rustica opera repetuntur. Ac nescio an ne tempora quidem satis conveniant; nam cum carmen, ut vv. 11 s. demonstrant, circa idus Februarias Fauno sacras scriptum sit et ad sacra huic deo facienda invitet, maria autem usque ad a. d. VI Id. Mart. clausa essent, dubito equidem num iam quinque et viginti diebus ante naves deduci coeptae sint. Eiectis autem his duobus versibus cum lex strophica neglecta sit, aut etiam alii duo abundant aut totidem exciderint necesse est; quorum utrum statuendum sit dubitari nequit. Iam ex quo Gruberus academiae Halensis professor a. 1817 in scholis suis Horatii artem poeticam explicans monuit poetam non recte fecisse, quod eleganti hilaritatis quae vere ineunte in natura regnaret descriptioni graves Cyclopum labores addens venustam illam dearum saltantium imaginem turbasset, mihi vv. 7 s. verba: *dum graves Cyclopum Vulcanus ardens urit officinas* offensioni fuerunt; et quamquam, ut et Meinekius et alii statuerunt, pictam aliquam tabulam poetae obversatam esse coniciebam, tamen quia non quidquid in pictura idem in carmine deceret, nihil eum peccasse nunquam\* persuadere mihi potui. Ac ne duas pictas imagines, unam rerum diurnarum (vv. 2 et 3), nocturnarum alteram sumendas esse memorem, cur poeta ut ver incipiens describeret, non Romae vicinam, quo Fauni sacra vocant, sed longe remotam regionem, Liparaeas insulas aut Aetnae propinquum locum eligeret? Iam vero etiam aliud me offendit: Venus, Gratiae, Nymphae, levissimi corporis numina decorisque plenissima, quae humum calcando vix leviter tangere putandae sint, ut, quemadmodum rusticos, opificum socios, milites gregarios videmus, saltantes tanta vi pedes humo infigere ab Horatio dicantur ut terram quatiant, quis fieri posse censeat? Quae verba quid valeant videre licet Sil. III 347: *pedis alterno percussa verberare terra*, si praecedentes versus legeris; cfr. Carm. III 18, 16. Neque contra afferenda sunt Horatii illa IV 1, 25 ss.: *illic — pueri — cum teneris virginibus — pede candido in morem Salium ter quatiant humum*. Interpolatos igitur censeo versus 7 et 8, ut ad verba *iunctaeque Nymphis Gratiae decentes* e v. 5 repetendum sit *choros ducunt*; cfr. IV 7, 5 s. Sic tollitur etiam quod quis vituperare possit *pede* eodem loco bis parvo intervallo positum v. 7 et 13. Iam carmen habemus antistrophicum huiusmodi:

Solvitur acris hiems grata vice veris et favoni, str.  
 4. nec prata canis albicant pruinis.  
 5. iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna  
 iunctaeque Nymphis Gratiae decentes.  
 9. nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,  
 aut flore terrae quem ferunt solutae;  
 nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,  
 seu poscat agna sive malit haedo.

pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas ant.  
 regumque turres. o beate Sesti,  
 15. vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.  
 iam te premet nox fabulaeque manes  
 et domus exilis plutonia; quo simul mearis,  
 nec regna vini sortiere talis,  
 nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus  
 20. nunc omnis et mox virgines tepebunt.

Indicia responsionis hic sunt plura: v. 1 strophae regnans littera *v* et cognata ei *f*, antistrophae *p* et *b*, v. 5 Venus, imminente luna, v. 15 vetat inchoare longam, 9 impedire, 11 immolare, quibus respondet quo vv. 17 et 19; (cfr. pag. 2, 3 et 6 annot.); sic quae causa Gruppio fuit damnandi ea mihi est defendendi; et cum ille *pauperum tabernas regumque turres* e II 18, 33 illatas putet, ego contra censeo illic sua interpolatorem hinc petivisse. *Fabulae manes* quid sint v. 16 nemo adhuc explicare

potuit; ego non dubito quin corruptum sit; fortasse legendum *futilesque manes*, qui in aera diffunduntur et diffuunt, vani (cfr. I 24, 15 *vanae imagini*, Verg. A. II 791), ut Verg. A. XII 738 *glacies futilis* dicitur. Quod Gruppius in verbis *iam te premet nox — plutonia* turpissimi generis zeugma esse dicit pluralem duobus singularibus interpositum, conferat I 3, 1—4, in quibus ipse nihil offendit, et quid sit *fabulae manes te prement*, nisi *fabulae* nomen eum offendit, docet Verg. A. XI 880: *hos — mixto premit agmine turba*. Ceterum verba *nox — plutonia* sunt exemplum iunctorum plurium nominum increscentibus epithetis, cuiusmodi simile vidimus pag. 3 annot.

De IV 7 quamquam multa habeo quae dicam et contra Gruppium vv. 5 et 6, et contra Prienium vv. 9—16 eicientem, tamen nunc cum iam spatium mihi concessum paene expleverim et maioris quaedam momenti relinquuntur, satis habeo monuisse mihi pariter ac Prienio ultimam stropham vv. 25—28 interpolatam, carmen autem antistrophicum videri. Unum non praetermittam, non, ut Gruppius dicit, liquescentis nivis tempus significari, nam *diffugere* nives et inde orta inundatio iam defluxit, unde progressio iam calidiore tempore Nymphis et Gratiis nudis choros ducentibus non est timendum ne frigus colligant. Sed quod vv. 25—28 spurios esse dixi, cum pietatis quae Torquatam non sit restitutura exemplum et documentum Hippolytus a Diana infernis tenebris non liberatus afferatur, Pirithous summae impietatis poenam luens neque generis neque facundiae nihil valentis potest exemplum haberi; et Theseus,\* homo ut Pirithous, amicum vinculis solvere conans non potest apte cum Diana dea in quam Hippolytus pius fuit componi. Itaque mihi de causis suspicionis non plane convenit cum Prienio. Levioris momenti est quod hic notat praesens verborum *liberat et valet*; nec quod de Hippolyto a vulgari fabula recessum est, cum plures et diversae eius essent formae, ut poeta ea quae sibi apta videretur uti posset, mihi quidem dubitationem inicit. Resectis autem his versibus nemo non facile concedet vv. 13—24 aptissimam responsonem antistrophicam esse priorum versuum 1—12; nec verborum indicia desunt, *redeunt* v. 1, *reparant* v. 13, *quae* v. 8 et 20, *recurret* v. 12, *restituēt* v. 24. Cum v. 15 cfr. Epp. I 6, 27, Lucr. III 1025. Praefero autem *pius Aeneas* alteri scripturae *pater Aeneas*, quia ut Tullum non divitiae, sic Aeneam non pietas morte liberasse dicitur. Postremo cum semper haeserim in his (v. 13): *quis scit an adiciant — ?*, quia antiquioris aetatis exemplum sic positae *an* particulae non memini (cfr. II 4, 13), nisi satis defenditur Ovid. Her. 10, 86: *quis scit an haec saevas tigridas insula habet?* nescio an scribendum sit *quis sciat adiciantne hod. c. s. t. di superi?*

### CARM. I 7 A et B.

Iam antiquitus v. 15 novi carminis initium factum esse Porphyrius docet, novumque carmen ibi multi libri incipiunt, idque cum alii tum Doederlinus et Kellerus probant. Nec sane quomodo praegressi versus cum insequentium argumento connexi sint intelligi potest, etiam si cum Hermanno ante v. 15 duo versus excidisse sumamus; nam ne si plures quidem periissent, naturali quodam vinculo utraque pars iuncta esset. Quod bene intelligens Gruppius priores quattuordecim versus spurios existimare videtur; ego aliter sentio; nam quamquam eorum argumentum tenue sane est, tamen cum Doederlino facio; nec multum differt huius carminis ratio ab I 1; nam ut huius sententia est, alios aliis studiis delectari, Horatium lyricae poesis laude, sic in illo aliis dicit alias urbes placere, sibi maxime Tibur. Sed si duo sunt carmina, strophicam legem violatam esse apparet, cui neque quattuordecim neque duodeviginti versuum numerus respondet. Hoc equidem manifestum in utroque carmine factae interpolationis signum esse duco, et in priore quidem spurios esse censeo vv. 8 et 9:

plurimus in Iunonis honorem

aptum dicit equis Argos ditiesque Mycenae.

(Oudendorpium secuti multi rectius *honore*, nisi auctoris vitium est). Nam cum Mycenae tum iam plus quadringentis ante annis dirutae essent, non intelligo quomodo sui temporis homines *dites Mycenae* laudare velle poeta dicere possit, nec, quamquam Athenas carminibus celebrari memorat, eum poetas tantum dicere puto qui Rhodum ceterasque urbes laudent, praesertim cum ea loca ad immorandum et habitandum illis placeant ut Tibur Horatio; cfr. Epp. I, 11. Haec mihi tam gravia videntur, ut nolim cum Peerlkampio, cui Hermannus assentitur, *urbem* v. 5 ex paucis codd. in *arces* mutare et vv. 6 et 7 eicere, licet non exiguae eorum difficultates sint. De his assentior Bentleio, cuius interpretatio paene tota, imprimis propter Lucr. I 928 sq., IV 3 s., quae Horatius fortasse imitatus est, mihi satisfacit, etsi de *παρὰ τὸ εὖ* verbo erravit. Laudatores illi Athenarum ex omnium locorum, fabularum, rerum gestarum, clarorum in omni genere virorum, artis operum, monumentorum praedicatione, praeterquam quod haec celebrant, simul sibi laudem et praemium petunt ex unaquaque illarum rerum quasi olivae Atheniensibus sacrae frondem decerpentes et coronam inde sertam fronti imponentes. Mycenis autem ut Argos iungeretur, antiquitatis memoria suadebat. Sic carmen est trium stropharum, quarum primam pag. 22 mensurae loco esse monui. Ceterum ut Athenarum, clarissimae omnium quae memorantur urbium, sic etiam Tiburis laus tribus versibus continetur.

Altera pars inde a v. 15 plenum et integrum carmen est tertio decimo epodo simillimum nec dissimile tertio secundi libri carmini, cui tamen, ut Gruppius recte vidit, tres ultimae strophae demendae sunt. At cum duodeviginti versus sint, si quaeritur quosnam duo resecandos putemus, non potest dubium esse quin interpolatori debeantur vv. 19—21 haec verba:

seu te fulgentia signis  
castra tenent, seu densa tenebit  
Tiburis umbra tui.

Nam cum facili errore, quia duo deinceps eiusdem metri carmina se excipiebant, ut alibi quoque factum est, pro uno ea a librariis haberentur, duplex exstitit causa interpolandi et rei et metri. Ut aliquo certe modo quidam cum praecedentibus versibus nexus efficeretur, apta visa est Tiburis mentio repetenda; atque ut simul strophica lex servaretur, duorum utrobique versuum ambitu opus erat. Sed parum feliciter res cessit. Commode *sive* — *sive*, *seu* — *seu* particulae inferendae interpolationi inserviebant, ut III 24, 57 s.; sed male hic praesens et futurum tempus iunctum est: recte dici poterat *sive castra sive Tibur te tenet*, *sive castra sive Tibur te tenebit*, non, ut hic factum est, *sive* (nunc) *castra te tenent*, *sive* (postero tempore) *Tibur te tenebit*; neque hoc potest inesse: *ubicunque aut nunc es aut postero tempore eris*. Atque Horatius in hac formula ubi utriusque membri idem verbum est aut semel ponit, non idem repetit, ut I 11, 4, II 14, 11 s., III 4, 23 s., 21, 2 s., C. S. 15 s., aut synonymis utitur, ut I 4, 12, Ep. 17, 38 s.. Iam eiectis his verbis prodit carmen sedecim versuum antistrophicum, non tamen distinctis utriusque partis strophis, pariter atque I 28 factum esse in epistola ad Te mea ostendi. Antistropham explet Teucri oratio ut Ep. 13 Chironis; in quinto versu eodem loco utrobique *Salamina* legitur responsionis indicium.

De I 28 ante hos septem annos disputavi.

## CARM. II 18.

Hoc carmen non paucis periculis frustra factis postremo sic describendum putavi:

- |  |             |   |             |
|--|-------------|---|-------------|
| <p>Non ebur neque aureum<br/>mea renidet in domo lacunar,<br/>non trabes hymettiae<br/>premunt columnas ultima recisas</p> <p>5. Africa, neque Attali<br/>ignotus heres regiam occupavi.</p> <p>9. at fides et ingeni<br/>benigna vena est, pauperemque dives<br/>me petit; nihil supra<br/>deos lacesso nec potentem amicum<br/>largiora flagito,</p> <p>14. satis beatus unicus Sabinis.</p> | <p>str.</p> | <p>17. tu secanda marmora<br/>locas sub ipsum funus et sepulcri<br/>inmemor struis domos,</p> <p>20. marisque Bais obstrepentis urges<br/>submovere litora,</p> <p>24. revellis agri terminos et ultra</p> <p>25. limites clientium<br/>salis avarus, pellitur paternos<br/>in sinu ferens deos<br/>et uxor et vir sordidosque natos.<br/>nulla certior tamen</p> <p>30. rapacis Orci sede destinata.</p> | <p>ant.</p> |
|--|-------------|---|-------------|

Quamquam confidere mihi posse videor, quisquis tale hoc carmen legat vulgatae eius formae aut ignarus aut immemor, eum non modo nihil desideraturum, sed sententiarum gravitate atque elegantia ac formae concinnitate magnopere delectatum iri, tamen ne sine iusta causa sedecim versuum stragem fecisse incuser in eo carmine, de quo ne Peerlkampius quidem quidquam detrahere ausus sit, cur sic agendum putaverim breviter declarabo. Gruppius interpolatos putat vv. 7 et 8, Prienius eosdem et 15, 16; vv. 1—6, 9—14 idem proodum facit, vv. 17—28 stropham, 29—40 antistropham; de vv. 7 et 8 delendis ut consentiunt, ita de causa delendi dissentiunt; rectius indicat Prienius, Mihi quo causam meam probem, initium faciendum videtur a posteriore parte carminis:

- |  |             |   |
|--|-------------|---|
| <p>30. rapacis Orci sede destinata<br/>aula divitem manet<br/>herum. quid ultra tendis? aequa tellus<br/>pauperi recluditur<br/>regumque pueris, nec satelles Orci</p> | <p>str.</p> | <p>35. callidum Promethea<br/>revexit auro captus; hic superbum<br/>Tantalum atque Tantali<br/>genus coercet, hic levare functum<br/>pauperem laboribus</p> <p>40. vocatus atque non vocatus audit.</p> |
|--|-------------|---|

Hic primum quaero quo referatur *ultra* v. 32? ad aulamne? an ad Orci sedem? minime vero; quis haec ferat? an ad illa vv. 24 s.: *ultra limites clientium salis avarus?* at istud interiectis praesertim verbis *pellitur* — *natos* nullo modo fieri potest. Tacent interpretes praeter comm. Cruqu. *amplius cupis* explicantem et Ianium: *quid igitur iuvat te semper ultra s. ulterius tendere, plura cupere et moliri?* Sic erit: quid ultra eum locum ubi nunc es aut ultra ea quae habes tendis? Vix recte. Sed haec mittam. *Aequa tellus* — *recluditur* volunt esse *aeque* — *recluditur*, minus sane commode quam *aequo pede*; i. e. aequo pedis ictu aut aequa p. pultatione I 4, 13 et *aequa lege* III 1, 14 adiectivum in adverbium mutari potest. Tum Horatius alibi (III 1, 13 *sortitur insignes et imos*, II 14, 11 *sive reges sive inopes erimus coloni*, I 4, 13. *pauperum tabernas regumque turres*, Serm. II 6, 95 *neque ulla est aut magno aut parvo leti fuga*, Epp. II 2, 179 *metit Orcus grandia cum parvis*) eundem numerum in opponendis pauperibus et divitibus servat, hic contra factum est; videntur autem haec ex I 4 l. l. petita esse. Multo vero gravius est quod Prometheus, qui iam antiquissimis temporibus ab Hercule liberatus et Iovi reconciliatus esset, etiam nunc in orco inclusus fingitur. Valet hic idem quod pag. 27 de Aeaco dixi; ac de Prometheo quidem iam monui in libello de epodorum responsione antistrophica pag. 17. Et quis tandem veterum Prometheum tradidit fugae et Charontis auro corrumpendi periculum fecisse? et qui eum adire poterat rupi affixus? Tum *hic* pronomen vv. 36 et 38 cum nemo nisi ad Charontem qui satelles Orci dicitur referre possit, invita grammatica ratione ad *Orci* referendum est. Gravissime vero peccatum est sententiarum confusione.

Dives dicitur mortem effugere non posse vv. 29—32; nam et pauperi et diviti esse moriendum vv. 32—34, tum Promethei et Tantali exemplo docetur ex inferis ne diviti quidem et potenti esse reditum; iam putes addi: non magis quam pauperi; at omnino diversa infertur sententia: Orcum sive vocatum sive non vocatum pauperem laboribus defunctum audire. Quae quomodo convenient equidem non intelligo. Nec *pauperi* v. 33, *pauperem* v. 39 eodem versus loco intra tam breve spatium repetito eodem adiectivo offensione caret. Possum etiam de horum versuum metrica et rhythmica ratione (ut de incisione post *atque* v. 40 facta) nonnihil monere, sed quae dixi iam sufficere puto ad summam suspicionem excitandam. Verbis autem vv. 32—40 *quid ultra tendis? — audit*, quae partim ex Epp. II 2, 179 s., Carm. II 14, 7—9, III 24, 15 et 22, 3 conficta videntur, omissis metro iubente apparet necessario etiam vv. 31 s. haec: *aula divitem manet herum* rescindenda esse; quae adiciendi prima causa fuisse videtur, quod cum ex nomine *sede* v. 30 (haec enim multo probabilior scriptura est quam *fine*) ad *nulla* v. 29 repetendum sit *sedes*, interpolatori substantivum deesse videbatur.

Tum vv. 22 s.: *parum locuples continente ripa*. | *quid quod usque proximos* eiciendos putavi. Prior enim versus manifesta imitatio est quarti decimi: *satis beatus unicus Sabinis*; Horatium autem credo formam sententiae variaturum fuisse; praeterea *ripa* pro *litore* ponitur, quod si etiam III 27, 24 factum est, nihil me movent interpolati versus; maris fretis si ripae tribuuntur, fluminibus illa comparantur; Columella tamen d. r. r. I 5 med.: (villa) *semper mare recte conspicit, cum pulsatur ac fluctu respergitur, nunquam ex ripa, sed paullum remota a litore*. Deinde *quid quod* etsi Horatius posuit Ep. 8, 15, tamen eo ut potius oratorio abstinuit in odis; nec magis *adde quod* saepius in satiris, semel in epistolis adhibitum carminibus convenit; nam II 8 vv. 17—24 non sunt Horatii.

Vv. 15 et 16: *truditur dies die, | novaeque pergunt interire lunae* ab aliis, ut a Gruppio, praecedenti orationi iunguntur, ab aliis sequentibus verbis, idque haud dubie rectius; sed cum eorum sententia gravius v. 18 verbis *sub ipsum funus* exprimatur, facile eos desideramus, ut Prienio delenti assentiendum sit; ego quoque eiciendos censueram et propter strophicam rationem et quia altera pars carminis, qua dives aedificator Horatio opponitur, multo aptius et gravius v. 17 incipit.

Denique vv. 7 et 8: *nec laconicas mihi | trahunt honestae purpuras clientae* ego non modo propter obscuriorem orationem omittenda censui, sed quod iis concinnitas carminis tollitur. Prior pars, quam stropham facio, bipartita est: poeta sex versibus enumerat quid non habeat, totidem versibus quid habeat; utrumque autem tripartitum est: I. a) *non ebur — lacunar*; b) *non trabes — Africa*; c) *neque Attali — occupavi*; II. a) *at fides — vena est*; b) *pauperemque — petit*; c) *satis beatus — Sabinis*. Versibus 7 et 8 insertis turbatur haec ratio, quae etiam altera carminis parte, antistropha confirmatur; nam hic quoque bis tres partes quinquor versuum cernuntur: ad aedificandi insaniam refertur a) *tu secanda — funus*, b) *et sepulcri — domos*, c) *marisque — litora*; ad avaritiam a) *revellis — terminos*, b) *et ultra — avarus*, c) *pellitur — natos*. Quam diligens poeta in hac re fuerit, ex eo quoque apparet, quod cum in prioris partis initio duo nomina posuisset *ebur* et *aureum lacunar*, his apposuit totidem: *fides et ingeni benigna vena*, alterique utriusque membri adiectivum addidit: *aureum, benigna*.

Admirabilem carminis, quale supra dedi, congruentiam et concinnitatem clausulaeque vv. 29 et 30 factae vim et gravitatem nemo, opinor, est qui non persentiat. Sibi pauperi sed parvis rebus contento et beato poeta opponit hominem divitem et aedificandi insane studiosum et propter avaritiam summas in clientes suos iniurias committentem; itaque duae partes sunt carminis antistro-

phica responsione optime distinctae; et ut in stropha de se poeta loquitur, sic non praemissa inutili vv. 15 et 16 generali sententia aptissime in antistropha *tu* pronomen orationem incipit. Antistrophicae rationis indicia sunt contrariae significationis in versibus sibi respondentibus adiectiva v. 10 *benigna*, v. 26 *avarus*; tum in iisdem versibus durioris soni verba v. 10 *pauperemque*, v. 26 *pellitur paternos*; adde quod a divite Horatius petitur, cliens pellitur. Ceterum Bentleii coniectura v. 30 *capacis* scribendum putantis mihi summopere arridet, ut orci nomen non dei sit, sed inferorum, *orci sedes*, quae est in orco.

### CARM. I 3.

Huius carminis Peerlkampius vv. 15—20 (de 17—20 Meinekius et Linkerus assentiunt), tum 25—36 damnavit, Gruppius vv. 9—40, octo versus relinquens, qui nihil nisi faustum et felix Vergilio iter optantes quia vix pro carmine haberi possunt, recte obloquitur Doederlinus. Mihi etsi valde interpolatum carmen videtur, tamen non plane eo modo quo Peerlkampius putat affectum esse existimo. Inde a v. 17 legimus haec:

quem mortis timuit gradum,  
qui siccis oculis monstra natantia,  
qui vidit mare turbidum et  
20. infames scopulos Acroceraunia?  
nequiquam deus abscidit  
prudens oceano dissociabili  
terras, si tamen inopiae  
non tangenda rates transiliunt vada.

25. audax omnia perpeti  
gens humana ruit per vetitum nefas:  
audax Iapeti genus  
ignem fraude mala gentibus intulit;  
post ignem aetheria domo  
30. subductum macies et nova febrium  
terris incubuit cohors,  
semotique prius tarda necessitas  
leti corripuit gradum.

De vv. 17—20 ego quoque Peerlkampii sententiam et argumenta probo, quibus accedit quod v. 17 *timuit* tam brevi intervallo post idem verbum v. 12 repetitum est. Tota stropha infelix variatio est proxime antecedentium vv. 9—16, in qua Acroceraunia respondent Hadriae v. 15, qui, quamvis primus nauta aliud mare temptavisset, tamen quia Vergilio navigandus erat, noti in eo maxime saevientis mentione iniecta Horatii amico timentis animo obversatus est. Sed mihi etiam sequens stropha, vv. 21—24, quamquam per se non vituperanda, interpolata videtur. Eluit mihi eam oceanus dissociabilis. Ab Horatio non magis quam a Vergilio, Ovidio, aliis eius aetatis poetis quod sciam, oceani nomen de interno mari usquam adhibetur; hoc sane terras circumiacentes dissociat, oceanus, sive fabulosus ille poetarum orbem terrae ambiens fluvius dicitur, sive magnum mare externum, non dissociat, sed circumdat et includit; nec vero metri ratione poeta cogebatur eo nomine abuti; offerebatur e. g. *prudenter pelago dissociabili*. Lucanus tamen IV, 22 oceanum pro mari interno videtur dixisse.

De vv. 25—33 praeter ea quae Peerlkampius recte notavit me maxime offendit quod cum Prometheus deus, non homo sit, illius culpam igne de caelo subducto commissam, quasi hoc quoque generis humani audaciae exemplum sit, homines luere dicuntur. Sed quae Peerlkampius de Hercule dicit, non recte se habent; homo is erat natus, quamquam heros, et recte poterat audaciae humanae exemplum afferri. Mihi carmen sic describendum videtur, ut vv. 1—8 quibus Horatius Vergilio faustam navigationem optat proodi loco sint, vv. 9—16 et vv. 25, 34—40, quibus anxii et solliciti de amici periculo sensus exprimuntur, stropham et antistropham faciant hoc modo:

Sic te diva potens Cypri, *proodus.*  
 sic fratres Helenae, lucida sidera,  
 ventorumque regat pater  
 obstrictis aliis praeter Iapyga,  
 5. navis, quae tibi creditum  
 debes Vergilium, finibus atticis  
 reddas incolumem precor  
 et serves animae dimidium meae.

illi robur et aes triplex *str.*  
 10. circa pectus erat, qui fragilem truci  
 conmisit pelago ratem  
 primus nec timuit praecipitem africanum  
 decertantem aquilonibus,  
 nec tristes hyadas, nec rabiem noti,  
 15. quo non arbiter Hadriae  
 maior, tollere seu *ponere volt* freta.

25. audax omnia perpeti *ant.*  
 34. expertus vacuum Daedalus aera  
 pennis non homini datis,  
 perrupit Acheronta herculeus labor.  
 nil mortalibus ardui est:  
 caelum ipsum petimus stultitia, neque  
 per nostrum patimur scelus  
 40. iracunda Iovem *ponere fulmina.*

Hominum audacia omnes regiones natura iis negatas et praeclusas invasit, primus nauta mare, Daedalus aera, Hercules orcum, Gigantes (qui ut terrae filii humano generi adnumerari possunt) et Aloidae caelum. Responsionis manifesta indicia sunt v. 16 *ponere volt*, v. 40 *ponere fulmina*.

### CARM. III 24.

Huius carminis quamquam sex strophas, viginti quattuor versus interpolationi deberi demonstraturus sum, tamen quia res ipsae clarissime loquuntur, brevissimus esse potero. Peerlkampius et Prienius vv. 3—6 deleri iubent, *clavos* ille in *saevo*, hic in *gasis*, *gaza*, *gemmis* mutans; Gruppius vv. 1—8, 15 et 16, 61—64 resecat neque initium neque exitum aptum relinquens. Ut vv. 3—6 eicerent, viris doctis imprimis gravissime corruptus versus quartus et orta inde difficultas causa fuit; nam vv. 5—7 *si figit* — *clavos* nunc certe e speculo quodam etrusco, in quo Atropos Meleagri capiti clavum infixura cernitur, satis intelliguntur. Sed duo illi abesse non possunt; nam ut rigidorum Getarum vita ad thesauros vv. 1 et 2 memoratos respicit, sic Scytharum plaustra ad immania aedificia vv. 3 et 4. Ac v. 4 quidem *mare apulicum*, quod Dillenburgerus frustra tuetur, meliorum librorum auctoritate recte in *mare publicum* mutatum est; *tyrrhenum* Lachmannus in *terrenum* mutavit, unde Hauptius, Linkerus, Kellerus eum secuti ediderunt: *terrenum omne tuis et mare publicum*. Mihi tamen nimia tum hyperbola poeta usus videtur, quae etiam tum modum longe excedit, si ad *terrenum* suppleas *tuum*; sed hoc addendum foret propter *mare publicum*. Hoc autem necessario requirit significationem rei quae natura sua aut more non magis aedificando idonea sit quam illud. Itaque scribendum esse conieci *terrae immune tuis et mare publicum*, i. e. quod terrae ab aedificando, a caementis iniciendis immune est, ut paludes, fluvii, lacus, viae, quemadmodum mare publicum, quod nullius est proprium sed omnium commune. Synaloephae eiusdem exemplum est Serm. II 6, 84 *longae invidit*, quae satira biennio ante carmen de quo agimus scripta est. Non nego tamen eo mihi minus certam coniecturam meam videri, quod praeter III 4, 78 *nequitiae additus* in stropha interpolata nullum coalescentis *ae* diphthongi in carminibus exemplum inveni, in epodis duo sunt 3, 16 et 17, 11, in satiris, si recte numeravi, septem, in epistolis unum I 6, 26. Secunda stropha: *si figit adamantinos | summis verticibus dira necessitas | clavos, non animum metu, non mortis laqueis expediet caput*, sententiam infert a carminis argumento et consilio maxime alie-

nam: non de moriendi necessitate agitur, cui Scythae et Getae non minus subiecti sunt quam dives ille quem poeta alloquitur, sed de bene, i. e. recte, bonis moribus, et feliciter vivendo: *melius Scythae vivunt et Getae*. Itaque quin delendi hi versus sint, equidem non dubito. Iam videamus hos versus:

25. o quisquis volet inpias  
caedes et rabiem tollere civicam,  
si quaeret pater urbium  
subscribi statuis, indomitam audeat  
refrenare licentiam,  
30. clarus postgenitis: quatenus, heu nefas,  
virtutem incolumem odimus,  
sublatam ex oculis quaerimus invidi.  
quid tristes querimoniae,  
si non supplicio culpa reciditur?  
35. quid leges sine moribus  
vanae proficiunt, si neque fervidis  
pars inclusa caloribus

- mundi nec boreae finitimum latas  
durataeque solo nives  
40. mercatorem abigunt, horrida callidi  
vincunt omnia navitae,  
magnum pauperies opprobrium iubet  
quidvis et facere et pati,  
virtutisque viam deserit arduae?  
45. vel nos in Capitolium,  
quo clamor vocat et turba faventium,  
vel nos in mare proximum  
gemmas et lapides aurum et inutile,  
summi materiem mali,  
50. mittamus, scelerum si bene paenitet.

In his primum quaero quomodo cum hoc carmen a. 725 aut 726 biennio aut triennio post pugnam actiacam pace iam restituta et Augusto imperium tenente et de emendandis moribus cogitante scriptum credatur, tum etiam ut in medio bello civili (cfr. ep. 7) impiae caedes et rabies civica deplorari potuerint. Tum virtutem incolumem odimus quidem invidi, sublatam non quaerimus invidi; perversa igitur est sententia, nisi scribendum putes *inriti*. Deinde si Horatius serio id agit ut licentia refrenetur et mores emendentur, nugarine licet? Quid est aliud nugas ridiculas agere, nisi ut rem legibus vetandam dicere supplicio recidendam culpam mercatorum et nautarum ultimas terras et maria adeuntium, non minus absurda et ridicula remedia proponere vv. 45—50, nugatorio malo sex versus 36—41, vero tres (42—44) impendere, ridiculis remediis iterum sex, veris tres cum dimidio vv. 51—54 tribuere? Potest etiam hoc quaeri, cuius sint *tristes querimoniae* v. 33, civiumne an magistratum? Illorum cum esse necesse sit, nihil sane prosunt. Nec negligenda sunt *quaeret* v. 27 et paullo post v. 27 *quaerimus* et vv. 24 et 30 *nefas*. Reliquum est, ut vv. 57 et 58 *seu graeco iubeas trocho* | *seu malis vetita legibus alea* demonstrem spurios esse. Trochi cum innocens puerorum ludus sit, perperam cum alea legibus vetita componitur; aperta autem est imitatio I 4, 12. Summam eorum quae reprehendi bene intelligens Tromphellerus (progr. Coburg. 1858) resecandas censet octo strophas, vv. 33—64, quo admissis non pauca relinquuntur quae improbanda sunt, et carmen exit quidem, sed non absolvitur, ac deest gravissima eius pars, qua et fons mali publici indicatur et remedium commendatur. Equidem post non paucos irritos emendandi conatus postremo in hac forma requievi:

Intactis opulentior  
thesauris Arabum et divitis Indiae  
caementis licet occupes  
4. terrae immune tuis et mare publicum;  
9. campestris melius Scythae,  
quorum plaustra vagas rite vehunt domos,  
vivunt et rigidi Getae,  
inmetata quibus ingera liberas  
fruges et cererem ferunt,  
nec cultura placet longior annua,

str.

25. 27. o quisquis volet urbium  
subscribi statuis, indomitam audeat  
29. refrenare licentiam.  
34. si non supplicio culpa reciditur,  
quid leges sine moribus?  
magnum pauperies opprobrium iubet  
quidvis et facere et pati,  
virtutisque viam deserit arduae.  
51. eradenda cupidinis  
pravi sunt elementa et tenerae nimis

ant.

15. defunctumque laboribus  
 aequali recreat sorte vicarius.  
 illic matre carentibus  
 privignis mulier temperat innocens,  
 nec dotata regit virum
20. coniux, nec nitido fedit adultero.  
 dos est magna parentium  
 virtus et metuens alterius viri  
 certo foedere castitas,  
 et peccare nefas aut pretium est mori.

- mentes asperioribus  
 formandae studiis. nescit equo rudis
55. haerere ingenuus puer  
 venarique timet, ludere doctior,
59. cum periura patris fides  
 consortem socium fallat et hospites  
 indignoque pecuniam  
 heredi properet. scilicet improbae  
 crescunt divitiae: tamen  
 curtae nescio quid semper abest rei.

Sic habemus carmen senarum in utraque parte stropharum egregie ita distinctum, ut prior pars barbarorum bonos et castos mores, altera Romanorum depravatos et remedium contineat. Barbaros dum laudat, Romanorum avaritiam, rerum domesticarum, educationis, matrimonii corruptelam tacite reprehendit. Paucis, sed gravissimis verbis et fontem mali et remedium indicat. Barbarorum continentiae et temperantiae in paribus antistrophae versibus Romanorum opponitur avaritia, illorum innocentiae, castitati, fidei horum dissoluta liberorum educatio et perfidia, in ultima utrinque stropha illorum matrimonii doti, parentum virtuti, horum pecunia et divitiae: ne multa, omnia tam egregie sunt instituta, ut nihil possit melius excogitari, carmen sive totum, sive partes spectes, rotundum est et concinnum. Ceterum v. 54 equidem valde inclino ad probandam Bentleyi coniecturam *firmandae* scribentis pro *formandae*. — Prienius hoc carmen sic descripsit: vv. 1, 2, 7—24 proodum, 25—44 stropham, 45—64 antistropham.

Habes iam, vir clarissime, quae nunc mihi in animo fuit proponere, quorum si vel partem Tibi probavero, satisfactum mihi erit. Vale mihi que fave.


Scripti Posnaniae Februario et Martio MDCCCLXV.

### Index carminum de quibus agitur.

Carm. I	1	pag.	23	Carm. II	1	pag.	4	Carm. III	12	pag.	22	annot. **)
"	"	"	9	"	"	5	"	3	"	"	"	22
"	"	"	34	"	"	8	"	33	"	"	"	13
"	"	"	26	"	"	10	"	6	"	"	"	16 annot.
"	"	"	30	"	"	11	"	3	"	"	"	35
"	"	"	2 annot.	"	"	13	"	7 et 8	"	"	"	26
"	"	"	7 et 13 annot.	"	"	18	"	32	"	IV	6	10
"	"	"	17	"	"	19	"	20	"	"	7	28 et 30
"	"	"	13 annot.	"	"	20	"	26 annot.	"	"	11	3
"	"	"	5 annot.	"	III	5	"	15	"	"	13	5 annot.
"	"	"	7	"	"	8	"	3	"	"	15	3
"	"	"	22 annot. *)	"	"	11	"	5	Epodon	17	"	11

### Errata et Addenda.

- Pag. 3 v. 2 *pro* IV 9 *leg.* IV 9, 11.  
 " 4 v. 3 *ab ult.* *pro* monostichica et distichica *leg.* monostichica et distichica.  
 " 8 v. 8 *del.* I 27.  
 " 11 v. 15 *pro* 42 *leg.* 37.  
 " 19 v. 13 *ab ult.* *del.* Epp. II 1, 5.  
 " 28 v. *ult.* *pro* duodevicesies *leg.* duodevicesies.  
 " 15 v. 29 de pinguibus velleribus eodem modo disputat Nauckius.



# Schulnachrichten.

---

## Verfügungen von allgemeinerem Interesse.

Königliches Provinzial-Schulcolleg. Posen 7 April 1864. Auszug. Nach den von dem Herrn Finanz-Minister unter dem 7. Februar d. J. erlassenen Bestimmungen über Ausbildung und Prüfung für den königlichen Forstverwaltungsdienst kann die Zulassung zur Laufbahn für den königlichen Forstverwaltungsdienst nur demjenigen gestattet werden, welcher

1. das Zeugniß der Reife als Abiturient an einem Preussischen Gymnasium oder von einer Preussischen Realschule erster Ordnung erlangt und in diesem Zeugnisse eine unbedingt genügende Censur in der Mathematik erhalten;
2. das 23. Lebensjahr noch nicht überschritten hat;
3. eine namentlich in Beziehung auf das Seh- und Hörvermögen fehlerfreie, kräftige, für die Beschwerden des Forstdienstes angemessene Körperbeschaffenheit besitzt;
4. über tadellose sittliche Führung sich ausweist, und
5. den Nachweis der zur forstlichen Ausbildung erforderlichen Subsistenz-Mittel führt.

Königliches Ministerium. Berlin 18. Mai 1864. Königliches Provinzial-Schulcolleg. Posen 26. Mai 1864. „Nach einer Mittheilung des Herrn Ministers für Handel etc. ist beim hiesigen königlichen Gewerbe-Institut wiederholt die Wahrnehmung gemacht worden, dass es den dem Studium der Mechanik sich daselbst widmenden jungen Leuten, welche ihre Ausbildung auf Gymnasien und Realschulen erhalten haben, an der erforderlichen Fertigkeit im Zeichnen fehlt. Um diesem Mangel, soweit es auf den höheren Lehranstalten möglich ist, abzuhefen, veranlasse ich das Königl. Provinzial-Schulcollegium, die Directoren der Gymnasien und Realschulen Seines Ressorts anzuweisen, dass sie sowohl diejenigen Schüler, welche später auf das Gewerbe-Institut überzugehen beabsichtigen, bei Zeiten auf das daselbst unerlässliche Erforderniss einer genügenden Fertigkeit im Freihand- und Linear-Zeichnen aufmerksam und eine gewissenhafte Benutzung des Zeichenunterrichts ihnen zur Pflicht zu machen, wie auch den Zeichen-Lehrern zu empfehlen, sich der betreffenden Schüler in dieser Beziehung besonders anzunehmen“.

Königliches Ministerium. Berlin 20. Juni 1864. Königliches Provinzial-Schulcolleg. Posen 4. Juli 1864. — „Durch verschiedene Wahrnehmungen, insbesondere auch davon, dass bei einigen Anstalten ein zu häufiger Wechsel in den Schulbüchern Statt findet, und dass die den Eltern der Schüler dadurch verursachten Ausgaben dabei nicht immer die gebührende Berücksich-

tigung finden, sehe ich mich veranlasst, die vorerwähnte allgemeine Verfügung durch folgende nähere Bestimmung zu ergänzen:

1. Die Anträge auf Genehmigung der Einführung neuer Schulbücher sind jedesmal vor Beginn des Schuljahres, und so viel wie möglich nicht vereinzelt, sondern für die Anstalten gleicher Kategorie in demselben Bericht verbunden, einzureichen.
2. Es ist anzugeben, wie lange das vorher benutzte Buch in Gebrauch gewesen ist, und aus welchen Gründen die Anschaffung gewünscht wird.
3. Ebenso sind jedesmal die Vorzüge des neuen Buchs anzuzeigen, um derentwillen dasselbe an die Stelle des vorher gebrauchten treten soll.
4. Endlich ist der Preis des einzuführenden Buchs anzugeben, und bei einem Wechsel sowohl der Preis des neuen wie des vorher gebrauchten.

Königliches Provinzial-Schulcolleg. Posen 27. December 1864. Es sind von nun an 251 + 6 Exemplare des Schulprogramms an das Königl. Provinzial-Schulcolleg. einzusenden.

Königliches Provinzial-Schulcolleg. Posen 2. Januar 1865 fordert im Auftrage des Herrn Ministers ein Gutachten wegen Verlegung der Sommerferien.

### Chronik.

Durch die Berufung des Herrn Dr. Klapp\*) als 9. ordentlicher Lehrer wurde das Collegium zu Ostern 1864 vollzählig und verstärkte sich noch durch den Zutritt der Herren Dr. Barthold aus der Provinz Sachsen und Dr. Schemmel aus Ober-Schlesien, welche die volle Stundenzahl ordentlicher Lehrer übernahmen. Allein nur wenige Wochen blieb seine Thätigkeit ohne Unterbrechung.

Herr Prof. Dr. Martin, der gegen Ende des vorhergehenden Schuljahres schwer erkrankt war, konnte erst nach dem Busstage seine Stunden wieder anfangen und erhielt, da auch der Besuch des Reinerzer Bades nicht wie sonst die gewünschte Stärkung gewährt hatte, von Michaelis an einen halbjährigen Urlaub zur Kräftigung seiner Gesundheit.

Zu Pfingsten trat Herr Oberlehrer Ritschl eine Urlaubsreise in die Schweiz an und begann erst nach den grossen Ferien wieder seinen Unterricht.

Am 2. Juli verliess uns der Lehrer der katholischen Religion Herr Consistorialrath Licentiat Poszwiński, um ein Pfarramt in Priment zu übernehmen. Wir haben den Verlust des ausgezeichneten Mannes aufrichtig bedauert. Noch schmerzlicher aber ist es, dass Se. Gnaden der Herr Erzbischof die erledigte Stelle noch immer nicht wieder besetzt hat.

Von Anfang August bis zu Michaelis musste Dr. Barthold wegen eines Nervenleidens seine Stunden aussetzen. Ende August erkrankte Prof. Dr. Jacoby in Folge einer Erkältung und starb — trotz seines mehrjährigen Leidens wider Erwarten — am 16. September. Er war ein reich-

---

\*) „Ich, Hermann Klapp, Sohn des Regierungsraths Klapp in Arolsen im Fürstenthum Waldeck, bin zu Sachsenberg am 20. März 1840 geboren. Ich besuchte das Landesgymnasium zu Corbach, welches ich Michaelis 1858 verliess. Dann studirte ich Philologie in Jena und Bonn. In Bonn erwarb ich mir im August 1862 die Doctorwürde und bestand im November desselben Jahres das examen pro facultate docendi. Nach einjähriger Thätigkeit an einem Institute in Noordwyk bei Leiden trat ich im October 1863 das Probejahr am Königl. evang. Friedrich-Wilhelms-Gymnasium in Posen an.“

begabter Gelehrter und Lehrer, dessen Namen unvergessen bleiben wird. Vor seiner Bestattung versammelten sich alle Lehrer und Schüler im Saale des Gymnasialgebäudes, wo der Director Ansprache und Gebet hielt, gingen von dort zum Trauerhause und geleiteten in langem Zuge, dem sich auch der Herr Ober-Präsident Horn, mehrere Rätthe des Consistoriums und des Provinzial-Schulcollegiums, theilnehmende Freunde und ehemalige Schüler angeschlossen hatten, den Entschlafenen zu seiner Ruhestätte. Unter Gesang wurde die Leiche eingesenkt. Eine erhebende Rede des Herrn Prediger Herwig beschloss die Feier.

Nicht minder oft wurde während des Winterhalbjahres, in welchem die Stunden des Herrn Prof. Martin sowie des verstorbenen Prof. Jacoby von den übrigen Lehrern übernommen werden mussten, das Collegium durch wiederholte Krankheit mehrerer Mitglieder, besonders der Herren Dr. Brieger und Dr. Schemmel, heimgesucht. Auch unter den Zöglingen verursachten Nervenfeber, gastrische Fieber, Scharlachfieber und Masern grosse Störungen und brachten in manche Familie schwere Sorge und tiefes Leid. Ein lieber Schüler, der Primaner Siegfried Reimann, Sohn des verstorbenen Consistorial-Directors Reimann, der Trost und die Freude seiner trauernden Mutter, wurde uns am 31. Januar durch den Tod entrissen. Am 10. Februar starb mein eigener theurer Sohn Gottwalt im 17. Lebensjahre. Gottes Friede sei mit den beiden geliebten Jünglingen!

Die im vorigen Programme S. 16 aufgeführten 11 Abiturienten erhielten am 7. März sämmtlich das Zeugniß der Reife. Flach und Wollenhaupt konnten von der mündlichen Prüfung dispensirt werden.

Am 14. April begann das Schuljahr in üblicher Weise mit Gesang, Gebet und Vorlesung der Schulordnung.

Am 25. April wurde im Morgengebet der Eroberung der Düppeler Schanzen (18. April) gedacht, am 2. Mai des am 18. April im Kampfe gegen die Dänen gefallenen Kgl. Lieutenants und Regierungs-Referendarius Materne, eines früheren Schülers dieser Anstalt, so wie des in düstrer Schwermuth gestorbenen Stud. phil. O. Schmidt, der erst zu Michaelis 1863 das Gymnasium mit einem ihn ehrenden Zeugniß der Reife verlassen hatte.

Die Turnfahrt fand für Prima am 24. Mai bei Schneewetter nach Moschin, für die übrigen Klassen am 6. Juni Statt.

